

Det här verket har digitaliserats vid Göteborgs universitetsbibliotek.  
Alla tryckta texter är OCR-tolkade till maskinläsbar text. Det betyder att du kan söka och kopiera texten från dokumentet. Vissa äldre dokument med dåligt tryck kan vara svåra att OCR-tolka korrekt vilket medför att den OCR-tolkade texten kan innehålla fel och därför bör man visuellt jämföra med verkets bilder för att avgöra vad som är riktigt.

This work has been digitised at Gothenburg University Library.  
All printed texts have been OCR-processed and converted to machine readable text.  
This means that you can search and copy text from the document. Some early printed books are hard to OCR-process correctly and the text may contain errors, so one should always visually compare it with the images to determine what is correct.





JOHANNIS MESSENI  
S C O N D I Æ  
ILLUSTRATÆ,  
TOMUS IX.

HISTORIAM  
SANCTORUM & PRÆSULUM,

Sive  
PRÆLUSTRIUM HOMINUM,

*Scondiæ conversionem  
sibi vendicantium,*

Complectens.



STOCKHOLMIÆ,

Typis OLAVI ENÆI, ANNO CHRISTI M.DCCIII.



## PROGRAMMA.

**N**Osti quo studio, & labore, Lector,  
Inquirant homines decus parentum;  
Majorum reliquosque quo favore  
Complectantur ubique clariores?  
Ardenter statuas vident eorum,  
Auscultant quoque perlibenter acta,  
Extent si documenta tot favoris  
Hos in, qui genuere nos in orbem  
Hunc, qui, ceu specus omnium malorum est.  
O quantâ veneratione fas est,  
Ut quivis homo prosequatur illos,  
Qui nos progenuere mansioni  
Cœlorum! penus omnium bonorum est  
Hæc: tales tibi, Lector, exhibebo  
Majores, pariterque Scondiotis  
Cunctis, quos liber insequens recenset:  
Illum suscipe perbenignus ergò,  
Et tantos colè sedulus parentes;  
Obstetricis ego labore functus,  
Sic hos si peramas, amabis & me.

Chri-



Christiano Lectori animæ corporis-  
que fospitatem.

**M**inus necessarium esse duxi, Lector  
veritatis studiosè, isto tibi manifestare proloquio,  
Christianam quo Scandia tempore, quo etiam pacto,  
& quorum opera hominum, sit amplexa religionem,  
cum sequens illud historia te doceat cumulatè: Sed an  
purum, putumque iidem Scandis dogma, tradiderint vel non? si illud,  
an ipsum nostrates intemeratum hæcenus conservarint? sin minus,  
quando syncera passi ergo sint fidei naufragium? nunquid fuerint aliqui  
interea veri Christicolæ, & majorum reliqui perierint in æternum? si  
autem hoc, quando igitur Scandis syncerus Evangelii radius illuxe-  
rit, num decimo quinto primum Christi sæculo? Opera præcium me fa-  
cturum, existimavi, si paucis coram te ventilavero; mihi tamen ipsi-  
met solum certi aliquid determinando, ast tibi super adeò nodosis &  
periculosis fidei quæstionibus, varias scriptorum opiniones suggerendo,  
& vada, scopulosque indigitando, ut iis oculo non lippiente, observa-  
tis, in portum veritatis facilius feliciusque mecum deferaris.

Itaque ad primum quod attinet, cum omnis Europæorum Ec-  
clesia primitiva, matrem agnoverit Romanam, quod inde velut nata  
& propagata fuerit, ex statu illius, de hujus qualitate oportet capta-  
re documentum. Et proinde si conformis veritati est sententia Evange-  
licorum, perhibentium primis solum tribus, vel quatuor à Christi  
ascensione sæculis, veram Romæ doctrinam floruisse, & postmodum de-  
fecisse, nobis ingenue confitendum est, si quem interea gustum Scandii  
perceperint religionis orthodoxæ, sive per Gothos, sive per Anglos, vel  
Longobardos foris conversos, & in patriam reversos modicè instillatum  
fuisse; cum protinus ille interierit vitioso gentilium humore restituto, ita  
ut initio noni post Christum sæculi, prorsus nulli fuerint, in Scandia  
Christiani post annos mille quingentos primo constanter, & perseveranter,  
synceriores Evangelii lucem Scandios aspexisse.

Inmò verò cum ipsemet D. Martinus Lutherus in Homelia su-  
per Destructione Hierusalem confidenter asseveret, Evangelium clarius  
suis, luculentiusque quam Apostolorum temporibus esse prædicatum,  
nec prius unquam Germanos & populos his finitimos, verum habuisse,  
colligitur hinc præfatam Ecclesiæ doctrinam primitivæ, Scandis mi-  
nus sincere traditam quoque fuisse. Quam porrò utrumque sit ve-  
risimile, Lector, tuæ committo prudentiæ examinandum; quod  
alii prius etiam viri sapientes paradoxum potius quam orthodoxum  
reputantes, & non ignorantes, bonum primo semen fuisse semina-  
tum;



tam; inde verò deterius, docere maluerunt aliquot primis secundum Christi ascensionem seculis, puram viguisse Ecclesiam; deinceps florente Catholicorum pluribus delituisse, ac demum sub Luthero, caput iterum protulisse; de tempore tamen non convenientes defectionis.

Nam Scondicos solum chronographos producendo M. Laurentius Nericius Evangelicorum in Suecia Protoarchisuperintendens, libro contra Herbestum, dicta assignat ruinae, annum CCCXX. Haraldus Huitfeldius in proœmio historiae apud Danos Ecclesiasticae, D. Andreas Vellejus in præfatione, M. Adamo apposita, ad sextum progrediens seculum, memorat novos Ecclesiam primos Romanam contraxisse, cum de primatu litem patriarchæ Constantinopolitano, Alexandrino, & Hierosolymitano, movere coeperat: Alibi tamen iidem asserunt, videlicet, Nericius in historia Sueonum, Huitfeldius in Danorum Ecclesiastica; Vellejus suis in Adamum Scholiis, S. Ansgarium & collegas, qui nono humanae salutis seculo, atque B. Sigfridum hujusque socios, qui undecimo, Scondicos Christo sunt lucrati, sincera illos doctrinam imbuisse, nec quomodo hæc cum priori conveniat assertio, sat animadvertunt.

Quid? Nericius in proloquio Ordinantia, anno MDXXII. publicata, idem profutetur luculentius, non modo Beronem, Olavum, & Stenchillum, Suecia reges, quod præfatis astitissent concionatoribus auxilio, & fidem primi suscepissent, conferens illos cum Imperatoribus Christianissimis; Constantino, Graciano, Valentino, Theodosio, utroque Carolo, & Ludovico; sed etiam S. Ericum, qui MCL. Sueciæ dominabatur, ob religionis præstantiam, iisdem assimilans Cesaribus; imò & sanctissimis Testamenti veteris regibus ac prophetis, Davidi, Ezechia, Josia & Josaphat; Etsi non hujus sat memor, in historia memoret Olai Scotkonung, quod Romanus Pontifex non multo fidem obtruserit deinceps Sueciæ meliorem, quam fuisset prius in ea Ethnicorum.

In præfatis igitur magnoperè discordantes Evangelicorum scriptores, in hoc fermè omnes conveniunt quod assererent veram sub papatu Ecclesiam habuisse Deum; sed occultum & invisibilem, hujusque sectatores, non pontificia, salvatos esse, non secus, quam temporibus Elia, cæcum Deo electum, ignorantis, fuissent millia septem conservata, cultu Beli non contaminata. Ita sentit quoque Vellejus, in dicta sæpius præfatione, qui tamen in hoc dissentit à veritate, quod ibi Valdemarum IV. Dania regem, ob motam Romano Pontifici rebellionem, talis Ecclesiæ membrum facere quodammodo videatur, quippe princeps fuit erga Deum, hominesque perfidissimus, adeoque sceleratus, ut animam illius, teste Huitfeldio, corporis impuro liberatam ergastulo, demones visibiliter ad Tartara abduxerint.

Verum Doctores Catholici, contrariam in omnibus tuentur sententiam, affirmantes magno consensu, Romanam non defecisse Ecclesiam;



am ; Sed talem sine ullo doctrina detrimento , presens usque tempus perseverasse , qualem Christus & Apostoli , horum legitimi successores , illam fundassent ; visibilem quoque floruisse ; nec Evangelicorum prius in rerum natura extitisse catum , quam decimo quinto Christi seculo . His autem illi precipue nituntur rationibus , quod cum vera Ecclesia ex Christi promisso , continuam habeat Spiritus Sancti presentiam & assistentiam , & portis inferorum , ex quibus omnis erumpat haeresis , sit praevalitura , fundamentumque veritatis appelletur , non possit ullatenus pati defectionem . Præterea si primis corrupta est fides seculis , ipsam utique periisse , cum fides sit una , testimonio Apostoli , ad Ephesios scribentis , quæ sibi neque addi quicquam , neque demi patiatur ; Si fides periit , interiisse simul Ecclesiam , quæ in fide vera subnititur ; sublata fide , ac Ecclesia , necessario consequi æternis adjudicatos ignibus , quotquot alienam ab Evangelicis fidem , sint professi ; quoniam sine fide Deo placere non est possibile .

Hinc porrò inferunt Catholici , viros miraculis inclytos , martyres , Confessores & Doctores interea florentes , cælesti privatos beatitudine , quorum numero etiam extiterint , qui libro præsentis producuntur ; velut quoque Deum mendacii arguendum , ex præmissis concludunt , quod scilicet promissa Ecclesiæ non exequatur . Sed cum huiusmodi illationes sint absurda & impia , potius esse credendum statuunt , quod vera Dei Ecclesia , omnino permanserit hætenus incorrupta , & omnibus conspicua , tanquam civitas in monte , & lucerna , modicum supra , non subtus , collocata . Demum Evangelicis insultando urgent , ut quemadmodum occultos liquet fuisse tot Dei cultores temporibus Elia , sic illi probent , ex aliquo sacro , vel profano scriptore , veros sub papatu Christicolos delituisse , & suarum alicubi terrarum , ante tempora Lutheri , viguisse Synagogam .

Nec desunt Evangelicis argumenta quibus suam conentur tueri causam ; quæ tamen non sunt tanti valoris , ut hominem prudentem & suæ amantem salutis , à sententia Catholicorum possint dimovere .

Quamobrem & ego his coram Deo & mundo profiteor universo , me credere Romanam Ecclesiam , quam Catholici hodie confitentur , fuisse ac esse unam , Sanctam , Apostolicam , Oecumenicam , visibilem & à qualibet intemeratam hæresi ; ideoque neminem posse hominum , extra illam salvari ; sicut etiam legitimos ejusdem fuisse nuncios , prædicatores , ac Doctores , proque huiusmodi laboribus Scondiorum impensis conversioni , immarcessibiles in cælo coronas fuisse adeptos , quorum gesta , vitamque subsequens fideliter liber commemorat ; Dogma insuper , quod illi syncerum nostratibus tradiderunt , prorsus incorruptum usque decimum quintum Christi seculum in Scondia floruisse .

):( ):

Ac



Ac quod Deus ex immensa sua bonitate & misericordia, me velut ovem perditam, relictis nonaginta novem in deserto, ad hujus suae vocaverit Ecclesiae caulam, illius sit Majestati laus gloria & honor in sempiternum; In qua etiam vivere, & mori desidero, & proinde quicquid contra illam haecenus, quocumque modo ex necessitate magis quam libera voluntate, dixi, feci vel scripsi, pro non dictis, factis, & à me scriptis protestor me habere; Libros simul meos quoslibet, ipsius subjiciens iudicio, ac eam revocans, damnansque Recantationem, & Detectionem fraudis Jesuiticae, quas anno MDCX. repugnante conscientia, per hypocrisin edidi; sicut quoque Epistolam à me traditam Carolo Regi, anno MDCVIII. & in detrimentum Catholicae Ecclesiae, confictam jugulans.

Coelicolas autem omnes, & praecipue hoc descriptos volumine, nunc humiliter obsecro, ut suis apud Deum precibus, hujusmodi errorum, & aliorum omnium mihi veniam; delictorum condonationem; ex tam diuturna liberationem captivitate; & salutem animae corporisque viventi, gloriam caelestem morienti; ac simul Tibi, Lector benevole, praemissi discursus fructuosam cognitionem; fidei hinc verae agnitionem, si hujus sis expertus, vitaeque in caelo aeternum permanentis, fruitionem, impetrare non dedignentur; Vale. *Scriptum Cajanaburgi Lapponum, Festo S. Birgitta, anno MDCXXXIII. Revisum Ubloeburgi anno MDCXXXVI. at captivitatis meae XX.*

JOHANNES MESSENIUS.

HISTO-





HISTORIA  
SANCTORUM & PRÆSULUM,  
SIVE  
PRÆLUSTRIUM HOMINUM,  
SCONDIÆ CONVERSIONEM  
SIBI VENDICANTIUM.

LIBRI I.

CAP. I.

*De primo gentium Apostolo Septentrionalium.*

**E**Erunt plurimi, jam tum Nero-  
nis temporibus Imperatoris, cum Divus Pe-  
trus Romæ versaretur, ex discipulis ejus unum ve-  
nisse Bardevicum, quæ tum in mediterraneis una in Anno 54.  
omni provincia dicitur urbs floruisse, ibique nomen  
Christi prædicasse, & longanimiter gentis totius con-  
versionem pie præstolantem, diem ibi suum obiisse. Religiosè per  
annos mille, & supra, ejus sepulchrum inter omnes habitum, donec  
Henrico Leone urbem captam evertente, Rex Daniæ Canutus, qui  
illi aderat, expeditionis mercedem acciperet à socero, ossa sacra primi  
prædicatoris. *Crantzjus in sua Metropoli, Cap. I. Lib. I.* 1182.

CAP. II.

*Quomodo Scondii primum de Christo  
gustum acceperunt.*

**E**X pervetustis non obscure liquet monumentis, tam internis quam  
externis historiarum, quod Gothi, Anglosaxones, Heruli, Lon-  
gobardi, Ascomanni, & Normanni, foris conversi, & quarto, quinto,  
sexto, septimo, octavo, ac nono Christi seculis, ex Italia, Hispania,  
Illyrico, Britannia, Gallia, Flandria, & Saxonia in Scondiam, ceu pa-  
A tri-



“ triam originalem subinde reversi, non paucos in ea conterraneorum,  
 “ fuerint Christo lucrati. Famofissimus tamen & Christianissimus ille  
 488. “ Anglorum monarcha Arthurus, anno CDLXXXVIII. Scandia nactus  
 “ dominium, hujusmodi beneficium pluribus incolarum exhibuit, suc-  
 “ cessoresque. Cujus una factus particeps, Aphrila, illustris in Scandia  
 594. “ comes, anno D XCIV. subscripsit concilio Toletano, abjurata hæresi  
 “ Arrhiana, sicut Wolfgangus Lazius, libro X. confitetur. Quapropter ex  
 “ his sole clarius patet meridiano, Scandios non primum nono seculo,  
 “ de Christiana compellatos fide suscipienda. *Messenius.*

## CAP. III.

## De Sancta SUNIVA.

390. **E**Rat in partibus Hyberniæ beata Suniva, regali stirpe progenita, &  
 studio boni patris in fide educata Christianorum, quæ cum tri-  
 bus navigiis se beatæ Ursulæ associans, & Oceanum ingrediens, ab ea  
 tempestatibus dispellitur. Tandem verò post transacta longa maris spa-  
 cia, ad partem illam Norvegiæ, quæ vulgò Ferdorum provincia nun-  
 cupatur, gloriosa comitiva, Domino ducente, pervenit: Hujus pro-  
 vincia incola, rationis alieni, cultu silvestres, moribus incompositi, vi-  
 dentes sanctos Dei finibus suis appropinquare, continuo congregato ex-  
 exercitu, tamquam ad latrones, cum gladiis, & fustibus exeuntes, cum  
 eos comprehendere non possent, procul à terra, cum sagittis & lapidibus  
 ipsos expulerunt.

Fuerant namque gentilitatis errore occæcati, & lumen veritatis  
 infirmis oculis aspicere non valebant; Iteratò igitur Sancti Dei cogun-  
 tur pelagi discrimina inire, & tempestate exortâ, corporali præsentia  
 separantur, qui mente, & spiritu separari non norunt. Beata igitur  
 Suniva, fluctuum turbatione sedata, cum majore parte sociorum ad in-  
 sulam, cui nomen Selioe applicuit, ibique mansiunculam faciens in spe-  
 luncis, & cavernis terræ, præ timore gentium, habitavit. Reliqui ve-  
 rò socii, ad aliam insulam applicantes, quæ Ryn, à vulgo nomen ac-  
 cepit, simili modo manserunt, ex captione piscium, vitæ sibi neces-  
 saria acquirentes.

In his insulis sancti Dei commorantes, non modico tempore, Do-  
 mino Jesu Christo, in multa abstinencia, paupertate, castitate, & vi-  
 tæ sanctitate serviebant. Nec ibi adhuc indigenarum ulla fuit habita-  
 tio, sed qui in terra adjacenti degebant, pecora illic sua in pascuis  
 habebant. Contigit autem sæpè pecora non omnia inveniri à possesso-  
 ribus, qui frustra suspicantes à sanctis ablata, multas iis injurias intul-  
 lerunt, Regemque rogarunt, ut superveniens cum exercitu, famulos  
 Dei trucidaret.

995. **Q**uem Sancti Dei videntes appropinquare, specus suos in-  
 trabant, orabantque cum lachrymis Dominum, ut animabus suis re-  
 quietem daret æternam; sepulturam vero corporibus sub scopulis, super  
 eos cadentibus, angelico præberet officio, sicque factum est, & Rex  
 sanctos non inveniens, explorata diligenter insula, obstupefactus cum  
 admiratione recessit. Accidit postea nono Christi seculo, cum merca-  
 tores quidam circa insulam navigarent, viderunt in litore maris quasi  
 columnam claræ lucis usque ad cælum porrectam fulgere, & propterea  
 adnavigantes, caput humanum sub ipsa coruscare invenerunt, & miræ  
 odo-



odorem fragrantiae spirare. Quod inde levatum, & Olao regi praesentatum, Nidrosiae a Sivardo Episcopo, decenter ibi reconditur. Qui mox cum rege, & multis Christianorum, profectus in Selium, invenit montem in occidentali plaga non modicum corruisse, & Christicolae illum sedulo perscrutantes, inter saxa, boni odoris, ossa reperiunt, & integrum B. Sunivæ corpus, virginis, & Martyris.

Quare Olaus ibi constructam Ecclesiam, sacras in ea reliquias decenter condidit, & Deus per merita Sanctorum suorum, usque in praesentem diem signa, & virtutes, operatur. Hæc contigerunt anno DCCCCXCVI. Verum transacto hinc multo tempore, venerabilis memoriae Paulus Bergensis Episcopus, reliquias B. Sunivæ de insula Seliae, ad civitatem transtulit Bergensem, anno MCLXX. & in Ecclesia cathedrali, VII. Idus Septembris collocavit, ad laudem Dei omnipotentis.

*Breviarium Nidrosiense.*

## CAP. IV.

## De Beato SEBALDO.

Christianus quidam Gothiae Rex, & hujus conjux, anno ut reor DCXC. perseverante adhuc dominio Britannorum in Scandia, suam magnoperè deplorantes orbitatem, Deo castimoniam nuncupant, si filium modo unum inprimis consequerentur. Divinitus autem exauditi, filium genuerunt, B. Sebaldum, vel potius Sioboldum, & cœlibem deinceps vitam egerunt. Postquam verò ille nonnihil adolevisset, ad scholam expeditus Parisiensem anno DCCV. insignem ibi navavit operam literis politioribus per triennium. Porro ut illustrem parentes ex filio progeniem nanciscerentur, ex studiis revocato, sponsam illi comitis in Gallia filiam, anno DCCIX. procurarunt.

Verum castitatis amantior B. Sioboldus, prima nuptiarum nocte virginem permovit ad vovendum unam secum perpetuam Deo castimoniam, moxque domo egressus paterna, petiit Eremum, in qua diuino se totum annis XV. mancipavit obsequio. Ita emensus hoc temporis spacium, anno DCCXXIV. admonitus illo Evangelii dicto, quod nemo sapiens accenderet lucernam, ut poneret eam sub modio, aut potius supra candelabrum, omnibus qui domo essent, lumen præbituram, suam videbatur sibi lucernam, in eremo, non secus quam sub modio se abscondidisse, & commissum a Domino talentum, terræ infodisse.

Quamobrem solitudini valedicens Romam festinat, ubi veniam Gregorii II. Pontificis nactus Evangelizandi, primum nudis peragrat Italiam pedibus, & incolas sermonis vehementiam, miraculorumque potentiam, ad vitæ pertrahit emendationem. Postea ingressus Germaniam, plurimos hominum ibi similiter Deo fuit lucratus, & præsertim Ratisbonæ, ac Norinbergæ conversatus, directam inhabitatoribus semitam in cœlum, verbis, signisque demonstravit, ac ibi demum ad superos per mortem translatus, admirandis Nurenbergæ diu prodigiis emicuit.

*Ex historia Divorum Saxonica, Gassaro, & Laurentio Surio, aliisque.*

## CAP. V.

## De HARALDO, Danorum Rege.

Eodem tempore, Haraldus, Rex Danorum, a filiis Gotafridi regno spoliatus, ad Ludovicum supplex venit Imperatorem, qui & mox



Christianæ fidei catechismo imbutus, apud Moguntiam, cum uxore, fratre, & magna Danorum multitudine, baptizatus est. Quem Imperator à sacro fonte suscipiens, cum decrevisset in regnum restituere, dedit ei trans Albiam beneficium, & fratri ejus Erico, ut tum piratis obfisteret, partem Frefiæ concessit, quam adhuc Dani, quasi legitimam sui juris, reposcunt. Cum autem nemo doctorum facile posset inveniri, qui cum illis ad Danos ire vellet, propter barbaricam crudelitatem, quâ gens illa fugitur ab omnibus, S. Ansgarius divino, ut credimus, spiritu accensus, & qui ad martyrium aliqua optabat occasione pertingere, cum socio se ad ultroneum obtulit Audberto, non solum inter barbaros, verum etiam in carcerem & mortem pro Christo ire paratus. Itaque biennio in Regno Danorum commorati, multos ex gentibus ad Christianam fidem converterunt. *M. Adamus pagina 17.*

## CAP. VI.

## De Sancto ANSGARIO.

**B**Eatus Ansgarius, ab infantia visitatione supernâ sæpius est monitus, ut toto corde cœlestibus inhiaret; Nam cum V. esset annorum, mater ejus devotissima defuncta est. Deindè cum à patre ad scholas positus esset, atque cum aliis coævus suis pueriliter luderet, habuit visionem nocte quadam, quod ipse in loco canosò positus esset, viditque non longè viam amœnissimam, in qua procedebat domina quædam, gloriose refulgens, quam matrem Domini indubitanter esse credidit, sequebanturque eam multæ dealbatae, inter quas vidit & matrem suam; cumque modo puerili vellet ad eam accurrere, dixit prædicta domina ad eum: Fili mi, vis ad matrem tuam venire? Cui cum ille inbianter respondisset, se velle, illa intulit: Si nostræ societatis particeps esse volueris, omnem debes fugere vanitatem, & jocos dimittere pueriles.

Post hanc itaque visionem, statim cœpit puerilia consortia devitare, & alias excellentissimi Caroli obitu Imperatoris audito, monasticis disciplinis appositus, vigiliis, orationi, & abstinentiæ, operam dare. *Breviarium Scarense pag. 124.*

Inde reversi, (*videlicet ex Dania,*) cum denuò postularentur ab Imperatore, ultimos Sueonum populos Evangelii gratia tentare, intrepidus athleta Christi, Ansgarius, assumptis secum fratribus, Gislemaro & Vithmaro doctoribus, gaudens pervenit in Daniam: Ubi relinquens Gislemarum Haraldo, ipse cum Vithmaro in Sueoniam transfretavit, ibique benigne à Rege Biorn suscepti, verbum Dei publicè prædicare permissi sunt. Multos itaque per annum integrum lucrati sunt Domino Jesu Christo, in quibus Herigarius, oppidi Bircæ præfectus, credidit, quem tradunt etiam miraculis & virtutibus insignem. Hac legationis suæ prosperitate gavisi, Corbeiam novi apostoli cum triumpho, duarum gentium, regressi sunt. *M. Adamus pag. 17.*

Tunc Imperator cum Magnatibus Sancto Ansgario de gentium congratulatus salute, ingentes Christo gratias persolverat. Habito igitur generali sacerdotum concilio, pius Cæsar votum cupiens parentis implere, Hammaburg Transalbianorum civitatem, metropolim omnibus barbaris statuit nationibus, Danorum, Sueonum, itemque Slavorum, & aliis conjacentibus in circuitu populis, eique cathedræ primum Archiepiscopum ordinari fecit Ansgarium. *Idem pag. 18.*



In adiutorium etiam prædicationis, datus est ei Ebbo, Rhemenſis Archiepiſcopus. Hic ſeu fatigatione itineris, ſeu corporis debilitate impeditus, ſive potius occupatione ſeculi delectatus, vicarium pro ſe dedit Anſgario, nepotem Gaudbertum. Quem ipſi ambo conſecrantes Epifcopum, vocarunt eum Simonem, eumque divinæ gratiæ commendatum in Sueoniam miſerunt. *Idem pag. 19.*

835.

Tum quoque Gaudbertus Epifcopus, zelo gentilium à Sueonia depulſus, & Nitardus Capellanus ejus, martyrio cum aliis coronatus eſt; Et exinde Sueonia ſeptennio caruit ſacerdotali præſentia. Quo tempore Amundus regno pulſus, in Chriſtianos movit perſecutionem. Herigarius vero Bircæ præfectus, chriſtianitatem ibi ſolus ſuſtentavit; Qui etiam tantam fidei gratiam meruit, ut potentiâ miraculorum, & exhortatione doctrinæ, multa paganorum millia ſalvarit. *Idem pag. 21.*

840.

Quando, nè legatio gentium tarditate ſuâ quapiam frigefceret, prædicatores miſit in Daniam; Hartgarium vero Eremitam direxit in Sueoniam. *pagina 22.*

848.

Hoc regalis munificentiæ dono, ſcilicet *Bremenſi Epifcopatu*; confessor Dei valde gaviſus, in Daniam feſtinavit; ubi Regem Danorum Ericum inveniens, Chriſtianum reddidit. Is ſtatim Eccleſiam in portu maritimo erexit apud Slesvig, data pariter licentiâ, ut quisquis vellet in regno ſuo, fieret Chriſtianus. Infinita gentilium credidit multitudo; de quibus hoc in libro memoriale relictum eſt, plures, ut aquâ baptiſmi ſunt loti, ab omni corporis infirmitate liberatos. *Idem Ibidem.*

849.

Quibus rebus ex voto completis, dum adhuc Sanctus Dei, pro gente Sueonum æſtuare cœpiſſet, cum Gaudberto Epifcopo conſilium habuit, quis eorum, laudabile pro Chriſto ſubiret periculum? At ille periculum ſponte declinans, ſanctum potius ut iret rogavit Anſgarium. Extemplo athleta intrepidus, Erici regis miſſum rogavit, atque ſigillum, & à litore Danorum tranſfretans in Sueoniam pervenit, ubi tunc Olaf rex apud Byrcam generale populi ſui habuit placitum. Quem præveniente Dei miſericordiâ, ita placatum invenit, ut ex ejus imperio, & populi conſenſu, & jactu ſortis, & idoli reſponſo, Eccleſia ibidem fabricata, & baptiſmi licentia omnibus ſit conceſſa. Quibus ex ſententia finitis, Evangeliſta noſter, Eccleſiam Sueonum Heriberto commendavit præſbytero, & rediit. Et ni fallat opinio, prophetia Ezechielis de Gog, & Magog, convenientiſſimè hic impleta videtur: Emittam, inquit Dominus, ignem in Magog, & in his qui habitant in inſulis confidenter. *Idem pagina 23.*

circa

853.

854

Contententibus ad invicem Guthormo, Principe Normannorum, cum patruo ſuo, Erico ſcilicet Rege Danorum, tantâ cæde utrinque maſtati ſunt, ut vulgus omne caderet; De ſtirpe autem regia, nemo omnium remaneret præter puerum unum, nomine Ericum. Qui ut regnum ſuſcepit Danorum, ingenito furore ſuper Chriſticolas efferatus, ſacerdotes Dei expulſit, & Eccleſias claudi præcepit. Ad quem ſanctus Dei confessor Anſgarius venire non trepidans, comitante ſecum gratia Divina, crudelem tyrannum ſic placatum reddidit, ut Chriſtianitatem ipſe ſuſciperet, ſuiſque omnibus ut Chriſtiani fierent, per edictum manderet; Inſuper in alio portu regni ſui apud Ripam, exſtrueret Eccleſiam, in Dania ſecundam, quam Remberto commendavit præſbytero, & Hamburgum rediit. *Adamus pag. 24.*

857.

860

865.

Obiit autem B. Anſgarius, Bremæ III. nonas Februarii DCCCLXV.



## CAP. VII.

## De LUDOVICO Imperatore.

817. **C**hristianissimus Cæsar, anno DCCCXVII. in concilio Aquisgranensi cum Stephano Papa Romano, de Scandiorum conversione, Imperio nimis infestorum sollicitè consultavit, & sedulò deinceps maturavit. *Lupoldus, & Historici Francorum.*

In nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divino favore, & propitiante clementia, Imperator Augustus &c. Idcirco sanctæ Dei Ecclesiæ filiis, præsentibus scilicet, & futuris, certum esse volumus, qualiter divina ordinante gratiâ, nostris in diebus, Aquilonaribus in partibus, scilicet in gentibus, Danorum, Sueonum, Norvagorum, Farriæ, Gronlandorum, Helsinglandorum, Islandorum, Scrichfinnorum, & omnium Septentrionalium & Orientalium nationum, magnum cœlestis gratiæ prædicationis, sive acquisitionis, patefactum sit ostium, ita ut multitudo hinc inde ad fidem Christi conversa, mysteria cœlestia, Ecclesiasticaque subsidia, desiderabiliter expeteret. Unde Domino Deo nostro laudes immensas persolventes, ipsum extollimus, qui nostris temporibus, & studiis, sanctam Ecclesiam, sponsam videlicet suam, in locis ignotis finit dilatari atque proficere.

Quamobrem una cum sacerdotibus, cæterisque Imperii nostri fidelibus, hanc Deo dignam cernentes causam, valde necessariam, atque futuræ Ecclesiæ dignitati proficuum, dignum duximus, ut locum aptum nostris in finibus evidentius eligeremus, ubi sedem Archiepiscopalem, per hoc nostræ authoritatis præceptum statueremus, unde omnes illæ barbaræ nationes, æternæ vitæ pabulum facilius uberiusque, capere valerent &c. Itaque statuimus, una cum consensu Ecclesiastico, præfata ultima in regione Saxonica, trans Albiam, in loco nuncupato Hamen-burg, cum universa Transalbinorum Ecclesia, proprii vigoris constituere sedem Archiepiscopalem, cui, ut primum quis præesset, solenniter consecrari, per manus Dragonis Episcopi Metensis, Ansgarium fecimus Archiepiscopum &c. cui tam nostrâ quam sanctâ Romanâ authoritate, hanc Deo dignam præfatis gentibus commisimus legationem &c. Actum Aquisgrani in palatio regio, in Dei nomine feliciter, amen.

834 Anno Domini nostri Jesu Christi, DCCCXXXIV. *Huitfeldius Tom. I. pagina 42.*

## CAP. VIII.

## De GREGORIO IV. Pontifice Romano.

**G**regorius Episcopus, servus servorum Dei, omnium fidelium dignoscentiæ certum esse volumus, qualiter &c. Nos igitur omnem ibi Deo dignam statutam providentiam cognoscentes, instructi etiam præsentiam fratris, filii nostri Ansgarii primi Nordalbingorum Episcopi, per manus Dragonis, Episcopi Metensis, consecrati, sanctum studium magnorum Imperatorum, tam præsentis authoritate, quam etiam Pallii datione, more prædecessorum nostrorum, roborare decrevimus. Quatenus tanta fundatus authoritate prædictus filius noster, ejusque successores, lucrandis plebibus insistentes, adversus tentamenta diaboli, validiores existant, ipsum filium nostrum, jam dictum Ansgarium,



rium, & successores ejus, legatos in omnibus circumquaque gentibus, Danorum, Sueonum, Norvegorum, Farriæ, Gronlandorum, Helsinglandorum, Islandorum, Scrichfinnorum & Slavorum &c. delegamus, & posito capite & pectore super corpus, & confessione sancti Petri Apostoli, sibi, suisque successoribus vicem nostram, perpetuò retinendam, publicamque Evangelizandi tribuimus authoritatem &c. Datum 835. DCCCXXXV. *Huitfeldius ibid. pagin. 49.*

## CAP. IX.

*De Sancto REMBERTO.*

**S**æpe etiam B. Ansgarius monasterium Galliæ, quod dono Cæsaris possedit, Turholt visitans, fratribus ibidem Deo militantibus, salutaris regulæ tramitem verbo, exemploque monstravit. In quorum nobili contubernio jam tum à puero fulsit sanctus Rembertus; quem adoptans S. Pater Ansgarius in filium, prophetico spiritu, quo plenus erat, longè antea prædixit illum suæ virtutis æmulum, & in cathedra Pontificali successorem. *Adamus pag. 20.*

Ut autem sciamus nec sancto Remberto gratiam defuisse miraculorum, fertur antiquorum more Sanctorum, quædam fecisse miracula frequenter, scilicet dum iret in Sueoniam, maris tempestatem oratione sedasse, & cæcum illuminasse per confirmationem, quam Episcopali more faciebat in eo. *Adamus pag. 30.*

Byrcam, post obitum S. Ansgarii, annis LXX, nemo ausus navigare doctorum, præter solum, ut legimus, Rembertum. *Idem pag. 37.*

Moritur Sanctus Rembertus, II. Hamburgensis & Scondiaë metro-  
politanus, DCCCLXXXVIII. “ 888.”

## CAP. X.

*De OLAO Sueciæ ac Daniaë Monarcha.*

**I**s cognomento Tretelga, per sanctum fuit Ansgarium baptizatus, & quod nollet idolis immolare, fuit ipsemet Upsaliæ immolatus, idque constanter subiit martyrium. *Chronicon Norvegia pag. 19.*

Audivi autem ex ore veracissimi regis Danorum, Sueni, cum nobis stipulantibus, atavos suos numeraret: Post cladem, inquit, Normanicam, Helgonem regnasse comperi, virum populis amabilem, propter justitiam & sanctitatem suam. Cui successit Olaf, qui veniens à Sueonia, regnum obtinuit Danicum vi, & armis, &c. *Adamus pag. 32.*

## CAP. XI.

*De FROTONE, Danorum Rege.*

**F**roto Rex, Suenonis frater, Angliam vicit, ubi & fidem Christi edoctus Christianissimus evasit. Volens igitur toti Daniaë communem esse hanc felicitatem, misso legato ad Romanum Pontificem, fidei Doctores postulavit. Sed priusquam legatus rediisset, in Domino mortuus est. *Lindenbruchius pagina 23. Saxo 161.*

CAP.



## CAP. XII.

## De HENRICO, Germanorum Rege.

**A**T verò Henricus Rex, jam tunc à puero timens Deum, & in ejus misericordia totam suam habens fiduciam, &c. Slavorum populos uno grandi prælio ita percussit, ut residui, qui pauci remanserant, & Regi tributum, & Deo Christianitatem, ultro promitterent. Apud Danos eo tempore Gorm regnavit, crudelissimus inquam vermis, & Christianorum populis non mediocriter infestus. Ille Christianitatem quæ in Dania fuit, prorsus delere molitus, sacerdotes Dei à finibus suis expulit, plurimos quoque per tormenta necavit. Proinde Henricus, cum exercitu ingressus Daniam, Gorm Regem primo impetu adeo perterruit, ut imperata se facere mandaret, & pacem suppliciter deposceret. Sic victor Henricus, apud Slesvig, regni ponens terminos, ibi & Marchionem statuit &c. *Adamus pag. 36.*

## CAP. XIII.

De HAQUINO ADELSTENIO,  
Norvegorum Rege.

**N**orvegi Ericum ob crudelia nimium facinora detestati, fratrem illius Haquinum ex Anglia vocarunt, & cum Britannorum auxilio mox advenientem sceptro donarunt, Erico in exilium demigrante. Haquinus autem Regum primus Noricorum Christianus, annis regnans XXVI. insignem navat operam, patriæ ad Christum convertendæ. Verum regni optimatibus idololatriæ heu nimium studiosis, contumaciter obluçantibus, modicum profecit; Quibus nihilominus extitit charissimus, ob prudentiam, & vitæ innocentiam. *Chronicon Norveg. pag. 33.*

## CAP. XIV.

## De B. UNNONE, Scandiorum, &amp; Nordalbingorum VI. Archiepiscopo.

**T**unc venerabilis Archiepiscopus Unni videns ostium fidei gentibus esse apertum, gratias egit Deo, de salute paganorum &c. Postquam verò confessor Dei pervenit ad Danos, ubi crudelissimus Gorm regnavit, illum quidem, pro ingenita flectere nequirit sævitia; Filium autem Regis, Haraldum, sua est prædicatione lucratus, quem ita Christo fidelem perfecit, ut Christianitatem, quam pater ejus semper odio habuit, ipse haberi publicè permetteret, quamvis non dum baptismi sacramentum percepisset.

**932.** Ordinatis itaque in regno Danorum per singulas Ecclesias sacerdotibus, multitudinem credentium Haraldo sanctus Dei commendavit; Cujus etiam fultus adjutorio, & legato, omnes Danorum insulas penetravit, Evangelizans verbum Dei gentilibus, & fideles quos illic invenit captivos, in Christo confortans.

Dein-



Deinde vestigia secutus magni prædicatoris, Ansgarii, mare Balticum navigans, gravi labore venit ad Byrcam; quò jam post obitum Sancti Ansgarii annis LXX. nemo Doctor ausus est pertingere, præter solum, ut legimus, Rembertum. Byrca est oppidum Gothorum, in medio Sueoniæ positum, non longè ab eo templo, quod celeberrimum Sueones habent in cultu Deorum, Upsala dicto &c. In eo portu confessor Domini egressus, insolita populos appellare cœpit legatione. Quippe Sueones & Gothi, vel ita si melius dicuntur, Normanni, propter barbaricæ excursionis tempora, quâ paucis annis multi reges cruento dominati sunt imperio, Christianæ religionis penitus obliti, haud facile poterant ad fidem persuaderi. Accepimus autem à sæpedito Danorum Rege, Suen, tunc apud Sueones imperitasse quendam Ing, cum filiis Erich & Emund, ipsumque Ing, ante se habuisse Olaf, Anund, & Biorn &c.

Sueones igitur & Gothi à Sancto Ansgario primum in fide plantati, iterumque relapsi ad paganismum, à sancto patre Unni sunt revocati. Perfecto autem legationis suæ ministerio, cum tandem redire disponderet, Evangelista Dei apud Byrcam ægritudine correptus, ibidem fessi corporis tabernaculum deposuit. Anima verò cum multo animarum triumpho stipata, cœlestis patriæ capitolium, semper lætatura, conscendit. Tunc discipuli Pontificis, exequias ejus cum fletu & gaudio procurantes, cætera quidem membra sepelierunt in eodem oppido Byrca, solum caput reportantes Bremam, quod decenti condiderunt honore in Ecclesia Sancti Petri, coram altari. Obiit autem peracto boni certaminis cursu in Scythia, ut scribitur, anno Dominicæ incarnationis, DCCCCXXXVI. circa medium Septembris. *M. Adamus pag. 37. § 39.*

## CAP. XV.

## De OTTONE I. Imperatore Romano.

Otto igitur Rex, divino fultus auxilio, cum primum ab insidiis fratrum ereptus est, iudicium & justitiam populis fecit. Deinde &c. arma in Danos corripuit, quos ante pater ejus bello compressit. Enimverò tunc rebellare moliti, apud Heideby Legatos Ottonis, cum Marchione trucidarunt, omnem Saxonum coloniam funditus extinguentes. Ad quam rem ulciscendam, Rex cum exercitu invasit Daniam; transgressus terminos Danorum, apud Slasvig olim positos, ferro & igne totam vastavit regionem, usque ad mare novissimum, quod à Danis Normannos dirimit, & usque in præsentem diem à victoria Regis Ottinsunt dicitur.

Cui regredienti, Haraldus apud Slasvig occurrens, bellum intulit, in quo utrisque viriliter certantibus, Saxones victoria potiti, Danos ad naves cedere coegerunt. Tandem conditionibus ad pacem inclinatis, Haraldus Ottoni subjicitur, regnumque ab eo suscipiens, Christianitatem in Dania recipere spondit. Nec mora, ipse Haraldus cum uxore sua Gunhild, & filio parvulo, baptizatus est; quem filium Rex noster à sacro fonte susceptum, Suen-Otto vocavit. *Adamus pag. 41.*

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Otto Dei clementia Rex, omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm futurorum, prædevotioni pateat, quomodo nos ob petitionem, & interventum,



dilecti nostri Adaldagi, Bremensis Ecclesiæ videlicet Archiepiscopi venerabilis, ac pro statu & incolumitate regni nostri, quidquid proprietatis in regno Danorum ad Ecclesias in honorem Dei constructas, videlicet Slesvicensem, Ripensem, Arhusiensem, Ottenesvigensem, vel adhuc pertinere videtur, vel in futurum acquiratur, à censu, vel servitio nostri juris absolvimus, ut & Episcopis præscriptarum Ecclesiarum, absque ulla Comitum, vel alicujus fisci nostri exactoris infestatione, ferviant & succumbant, volumus & firmiter jubemus. Insuper concedimus prædictarum Ecclesiarum Episcopis, ut potestatem habeant emendi agros, possessiones, & prædia, in omnibus regni nostri partibus, ubicunque velint, aut possint. Servos verò & colonos in eorum proprietatibus habitantes, nulli nisi Episcopis servituros, ab omni etiam nostri juris servitio absolvimus, & sub nullius banno vel disciplina illos, nisi sub illarum Ecclesiarum advocatis, esse volumus. Ad hoc etiam omnes fideles nostri dignoscant, quod nos Folgeberti nuncii Ecclesiæ, Episcopi rogatu, omnes etiam inquilinos, five qualicunque paratu euntibus, in nostri regni finibus teloneum prorsus perdonavimus. Et ut hoc nostræ authoritatis præceptum, firmum ac inconvulsam permaneat, hanc chartam conscribi, annulique impressione signari jussimus, quam & manu propria subtus firmavimus. Data XV. Calend. Aprilis, anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXXVII &c. *Huitfeldius in Historia Ecclesiastica.*

## CAP. XVI.

## De ADALDAGO VII. Archipræsule.

949. **E**O tempore Dania cismarina, quam Jutlant incolæ appellant, in tres dividua Episcopatus, Hamburgensi Archiepiscopatu est subjecta. Servantur in Bremensi Ecclesia Regis præcepta, quæ signant Ottonem in sua ditione regnum Danicum tenuisse, adeo ut etiam ille Episcopatus donaverit.

Agapetus Papa, Hamburgensi Ecclesiæ de salute gentium congratulatus &c. Adaldago sua vice jus ordinandi Episcopos, tam in Daniam, quam in Septentrionis populos, apostolica authoritate concessit. Igitur beatissimus Archiepiscopus noster omnium primus ordinavit in Daniam Episcopos; Haraldum ad Slesvig; Lifdagum ad Ripam; Rinbrandum ad Arhusam. Quibus etiam illas commendavit Ecclesias, quæ trans mare sunt, in Fyne, Seland, Scone, & Sueonia. Hoc factum anno Archiepiscopi XII. *Adamus pagina 41.*

Adaldagus igitur Archiepiscopus ordinavit in Daniam plures Episcopos, quorum nomina quidem reperimus; ad quas verò sedes specialiter intronizati sunt, non facile potuimus invenire. Æstimo ea faciente causa, quod pro rara Christianitate, nulli Episcoporum adhuc certa sedes designata fuerit. Verum studio plantandæ Christianitatis, quisque in ulteriora progressus, verbum Dei tam suis, quam alienis communiter prædicare certabat. Quod hodie trans Daniam per Normanniam & Sueoniam facere videntur. Igitur Episcopi, qui in Daniam ordinati sunt, Inhored, Lifdag, Reimbrand; & post eos, Harig, Stercolf, Folbrecht, Merha, & alii. *Adamus pagina 50.*

CAP.



## CAP. XVII.

De B. OTHINCARO & S. LIFDAGO  
Ripensium Episcopis.

**O**thincarum seniore ferunt ab Adaldago in Sueoniam ordinatum, strenuè in gentibus legationem suam adimplesse. Erat enim, sicut fama nos tetigit, vir sanctissimus, & doctus in iis, quæ ad Deum sunt. Quantum verò ad seculum, nobilis, & origine Danus; unde & facile barbaris quælibet potuit de nostra religione persuadere. Cæterorum verò Episcoporum vix aliquem sic clarum prædit antiquitas, præter Liafdagum, Ripensem, qui & miraculis fuit celebris, & transmarinis prædicavit, hoc est, Sueonibus, & Normannis. *Adamus pagina 51.*

Odincharus filius Toki, ducis Vinlandensis, sedem in Ripa habuit. Nam tertia pars terræ Vinlandensis, patrimonium ejus fuisse describitur; Et tamen vir tantarum divitiarum miræ fuit continentia. Cujus unum virtutis exemplum erat, quod omni Quadragesimali tempore, semper alternis diebus jusserit se verberibus à quodam suo affligi presbytero. *Adami Scholia.*

## CAP. XVIII.

De Beato HARALDO, Rege Danorum &  
Norvicorum, Martyre.

**H**araldus Rex Danorum, religione & fortitudine insignis, Christianitatem in regno suo jam dudum benigne susceptam, usque in finem constanter retinuit. Unde & regnum suum sanctitate & justitia confirmans, ultra mare in Anglos & Normannos suam dilatavit potentiam. Emund, filius Erici, tunc in Sueonia regnavit; qui Haraldo confederatus Christianis eò venientibus placabilis fuit. In Norvegia Haquin, princeps erat, quem &c. Haraldus Christicolis placatum reddidit. *Adamus pag. 50.*

Novissimis Archiepiscopi temporibus, res nostræ inter barbaros fractæ; Christianitas in Dania est turbata; pulchrisque divinæ religionis initiis, inimicus invidens homo, superfeminare zizania conatus est. Nam tunc Suenotto, filius magni Haraldis Regis Danorum, multas in patrem molitus insidias, quomodo eum jam longævum, & minus validum regno privaret, consilium habuit cum iis, quos ad Christianitatem pater ejus invitos coëgit. Subito igitur facta conspiratione Dani Christianitatem abdicantes, Suein constituunt Regem, bellumque Haraldo indicunt.

At ille qui ab initio regni sui totam spem in Deo postulerit, tunc verò maximè Christo rei eventum commendans, dum bellum execraretur, armis se tueri decrevit, & quasi alter David procedens ad bellum, filium lugebat Absolon, magis illius dolens scelus, quam sua pericula. In quo miserabili, & plus quam civili bello victa est pars Haraldis; Ipse autem vulneratus, ex acie fugiens, ascensa navi, elapsus est ad civitatem Slavorum, quæ Julinum dicitur. Ubi contra spem, quia pagani erant, receptus, post aliquot dies ex eodem vulnere deficiens, in



confessione Christi decessit. Cujus corpus in patriam ab exercitu reportatum, apud Roschild civitatem, in Ecclesia, quam ipse primus in honorem Sanctæ Trinitatis construxit, est sepultum &c.

At ille noster Haraldus, qui populo Danorum primus Christianitatem indixit, qui totum Septentrionem Ecclesiis & prædicatoribus implevit; ille, inquam, innocens vulneratus, & pro Christo à regno expulsus, martyrii gloriâ, ut speramus, non carebit. Regnavit autem annos quinquaginta, & obitus ejus in festivitate omnium Sanctorum contigit. Memoria ejus apud nos, & uxoris ipsius Gunild, perpetua manebit. *Idem pagina 51.*

## CAP. XIX.

*De Sancto POPPONE, & ERICO Sueciae,  
Daniae, & Norvegiae Monarcha.*

981. **Q**uo tempore cum magnam Christianorum persecutionem in Dania Suein Rex exercuisset, supplicibus Archiepiscopus legatis, crebrisque muneribus laborabat, quatenus ferocis Regis animum mansuetum redderet Christianis. Quibus ille rejectis, in sua nimirum crudelitate, & perfidia perseverare non cessavit; unde & ultio divina Regem Deo rebellem est subsecuta. Nam cum contra Slavos bellum susciperet, bis

983. captus in Slaviam ductus est, totiens à Danis ingenti pondere auri est redemptus. Nec tamen adhuc ad Deum reverti voluit, quem primò in morte patris offendit, & deinde in nece fidelium irritavit, & iratus furore Dominus, tradidit eum in manus inimicorum ejus, ut disceret non blasphemare.

984. Tunc potentissimus Rex Sueonum, Ericus, collecto innumerabili, sicut arena maris exercitu, Daniam invadit, & occurrit ei Suein à Deo derelictus, frustra sperans in idolis suis. Sed cum utrinque bello navali (sic enim gens illa configere solet) omnes copiae essent Danorum obtrita, Ericus Rex victor, Daniam obtinuit. Suein ergò depulsus à regno, dignam factis suis à Deo zelote mercedem recepit. *Adamus pag. 54.*

985. Ericus duo regna obtinuit, Danorum, Sueonumque, & ipse paganus Christianis valde inimicus. Ad quem legatus missus Cæsaris, ac

986. Hamburgensis Archiepiscopi, Poppo quidam, vir sanctus, & sapiens, tunc in Slesvicensem ordinatus Episcopum, de regno Danorum, seu pace Christianorum Cæsaris partes exposulavit. Quem etiam pro assertione Christianitatis, cum Barbari suo more, signum quærent, nihil moratum, sed statim ignitum ferrum, manu tulisse, & illæsum apparuisse traditur. Dumque hoc facile gentilibus omnem erroris ambiguitatem tollere videretur, iterum sanctus Dei pro submovendo gentis illius paganismò, aliud æque magnum ostendit miraculum. Tunicam scilicet indutus ceratam, cum staret in medio populi circo, in nomine Domini præcepit incendi. Ipse verò oculis ac manibus in cælum tensis, liquentes flammæ tam patienter sustinuit, ut veste prorsus ambusta, & in favillam redacta, hilari & jucundo vultu, nec fumum quidem incendiî sensisse testatus sit. Cujus novitate miraculi, & tunc millia multa crediderunt, & usque hodie per populos & Ecclesias Danorum, celebre Popponis nomen effertur. *Idem pagina 56. & Crantzius in metropoli, Lib. III, Cap. XXXIV, & XLII,*



Ericus igitur Sueonum Rex, in Dania conversus ad Christianitatem, ibi baptizatus est. Qua occasione prædicatores, à Dania in Sue- 989.  
diam transeuntes, fiducialiter agebant in nomine Domini. Dicebat tamen  
clarissimus Suein Rex Danorum, Ericum post susceptam Christianita- 992.  
tem, denuò ad paganismum fuisse relapsum. Quod verò cum Ottone 986.  
III. pugnaverit, & victus sit, Rex tacuit, sed ab aliis audivi. *Idem pa-  
gina 57. P. L. N. pag. 5.*

## CAP. XX.

De LIBENTIO I. Scondiæ, & Nordal-  
bingiæ, VIII. Metropolitanano.

Interea noster Archiepiscopus, de legatione sua in gentes sollicitus, 1000  
plures ordinavit Episcopos, quorum nomina & sedes incertæ sunt,  
quia tempus persecutionis incubuit. Sicut enim patrum relatione cogno-  
vimus; Esico apud Slasvich Popponi successit Odincar, qui apud Ri-  
pam insignis fuit. Et sermo est post obitum Adaldagi, totam Julant  
regionem usque ad nostram ætatem in duos Episcopatus bipartitam esse;  
tertio apud Arhusam deficiente. In Slavoniam verò ordinavit Archie-  
piscopus, Folquardum; deinde Reginbertum: quorum prior è Slavo-  
nia pulsus, in Sueoniam vel Normanniam missus est ab Archiepiscopo,  
qui multos in Domino lucratus, cum gaudio remeavit. *Adamus pag. 61.*

## CAP. XXI.

## De OLAO TURGOTIO, Rege Noricorum.

Olaus Trucchonis filius, à Norvegia expulsus, venit in Angliam,  
ibique suscepit Christianitatem, quam ipse primus in patriam reve-  
xit &c. Alii dicunt olim, & tunc ab Anglia quosdam Episcopos, vel 995.  
presbyteros, Evangelizandi gratia, egressos à Domino, & ab illis Olaf  
baptizatum, & cæteros. Quorum præcipuus erat Johannes, Episcopus  
quidam, & alii, de quibus postea. Sed si hoc ita est, non invidet mater  
Hamburgensis Ecclesia, si filiis suis etiam extranei benefecerint, dicens  
cum Apostolo: Quidam prædicant per invidiam, & contentionem; qui-  
dam autem propter bonam voluntatem & charitatem. Quid enim dum  
omnimodo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annunci-  
etur, & in hoc, inquit, gaudeo & gaudebo. *Adamus pag. 57.*

Olaus, Tryggo, nomen habuit, inter Norvegiæ Reges quidam,  
non solum Norvegiæ, sed totius Europæ dignissimus imperio heros;  
Quidquid alii sive per inscitiam, & ignorantiam historiarum, sive per  
invidiam crimentur. Hic cum in exteris militiæ non tantum castrensis,  
sed etiam Christianæ, non dicam tirocinia, sed magnos profectus fe-  
cisset &c. Norvegiam adiit &c. capitque veteri religioni Ethnicorum 992.  
extirpandæ, totus illico non sine fructu incumbere. Quæ res ab hujus  
Olai patruo magno, circa annum DCCCCXXXIII, Haquino  
nempe Adelftenio, qui in Anglia religionis Christi semina imbiberat, ten-  
tata, meliores successus nunc experta est, quamvis non sine maximis  
& difficillimis certaminibus.

Idem quoque Norvegiæ Rex, secundum Deum optimum maxi-  
mum



982. mum, totalis conversionis fuit author nostratibus. Antea verò in particularibus fidei indagandæ certaminibus, Thorvaldus quidam Conradi filius, borealis Islandiæ civis, laudabilem operam navavit. Qui post longinqui orbis peregrinationem, & fidem in Saxonia susceptam, quendam Fridericum, professorem fidei secum in patriam adducens, religionis Christianæ præco exstitit, circa annum DCCCCLXXXII.

996. Cæterum Norvegius ille Rex Olaus, cum jam in Norvegia negotium fidei ad bonam frugem promovisset, velletque de Islandia, & insulis vicinis, aliquid tale tentare, misit hujus rei gratia Stephnerum huc Islandum, sed conatu irrito. Misit proinde alium, anno 997. DCCCXCXVII. Tangbrandum nomine, sacerdotem officio, qui licet difficulter, apud quosdam, tamen nonnihil profecit. Nec desistit in proposito sanctissimo Rex laudatissimus, qui Islandos in Norvegia, prius sacro fonte ablutos, tertium in Islandiam ablegavit Gyfferum quendam, 1000 & Hialtum, anno Christi M. Qui in foro magno insulæ id obtinuerant tandem, ut idolorum cultu seposito, in Christianam religionem juratum esset. Idem cum præstantissimus hic Norvegiæ Rex, eodem quoque anno de Gronlandia etiam obtinuisse, ut & ante biennium, de insulis 998. Farenfibus, & Hetlandia, æterno Numini egit gratias. Qui domi interim Sueciæ ac Daniæ regibus congressus, & victus, fugâ in Syriam 1000 evasit, ubi vitam amplexus est monasticam. *Historia Ionæ Islandica Libro I. Capite X.*

## CAP. XXII.

### De OLAO, Sueciæ, & Daniæ Rege.

995. **C**onfimilis ejusdem Pontificis industria, (nempe Sivarði, non Bernardi, ex Anglia Episcopi, qui S Olavum, Norvegiæ Regem lustravit) Sueciæ Regem Olavum ad Christiana sacra perductum, alio nomine venustavit, morum profectui, decus vocabuli tribuens. *Saxo pagina 171.*

Mortuo post hæc Erico, Suein ab exilio regressus, obtinuit regnum patrum suorum, anno depulsionis, & peregrinationis suæ, XIV. accepitque relictam Erici, uxorem, matrem Olaf, quæ peperit Knut. Sed nihil illi affinitas connubii profuit, cui Deus iratus erat. Olaf autem Rex Sueonum Christianissimus, filiam Slavorum, Estrid nomine, de Obotritis, accepit uxorem, ex qua genitus est illi filius Jacobus, & filia Ingard, quam Rex Gerzlef de Russia, duxit in conjugium.

994. Olaph sanè, qui post obitum patris sui Erici, regnum super Sueones accepit, cum exercitu superveniens, infelicem Suein iterum à regno expulit, & Daniam obtinuit. Suein autem cognoscens, quia Dominus ipse est Deus, rediit in semetipsum, & peccata sua præ oculis habens, pœnitensque oravit ad Dominum, qui exaudiens eum, dedit ei gratiam in conspectu inimicorum suorum, restituitque ipsum Olaf in regnum 997. suum, eò quod matrem suam habuerit uxorem. Feceruntque pactum ad invicem firmissimum, ut Christianitatem in regnis suis plantatam, retinerent, & in exteras nationes effunderent. *Adamus pag. 58.*

999. Simili autem religionis amore, alter Olaf in Suedia dicitur floruisse. Isque subditos sibi populos ad Christianam volens convertere fidem, magno laboravit studio, ut templum idolorum Upsala, quod in me-



medio Sueoniæ situm est, destrueretur. Cujus intentionem pagani metuentes, placitum cum Rege constituerunt, ut si ipse Christianus esse vellet, optimam Suediæ regionem, quam vellet, suo jure teneret, in qua Ecclesiam & Christianitatem constituens, nemini de populo vim recedendi à cultura Deorum inferret, nisi qui sponte ad Christum vellet converti.

Hujusmodi Rex placito gavissus, mox in occidentali Gothia, quæ Danis proxima est, vel Normannis, Ecclesiam Deo, sedemque fundavit Episcopalem. Hæc est civitas Scarane maxima, in qua petente Christianissimo Rege Olaf, primus ab Unvanno Archiepiscopo, Turgoth est ordinatus Episcopus. Ille verò strenuè legationem suam agens in gentibus, duos nobiles Gothorum populos, Christo est suo lucratus labore. Per illum ergo Episcopum, Rex Olaf ingentia metropolitano Unvanno, direxit munera. Præterea duos idem rex fertur habuisse filios, quos ambos, una cum uxore sua, ac populo baptizari præcepit. Quorum alter, qui natus est de concubina, Emund nomen habuit; alter Anund, quem rex à legitima genuit uxore, qui cognomento fidei, & gratiæ, dictus est Jacobus. Juvenis quidem ætate, verum sapientia, & pietate, omnes præcessit, qui fuerunt ante eum; nec quisquam regum fuit populo Sueonum tam acceptus, sicut Anundus. *Adamus pagina 66.*

## CAP. XXIII.

## De UNVANNO, Archipræsule gentium borealium IX. &amp; CANUTO Rege.

Quare thesaurum Ecclesiæ diu sollicitèque collectum, & quasi minus necessarium, si infra parietes clauderetur, ipse ad commodum suæ legationis ita curavit expendere, ut ferocissimos Aquilonis Reges hilaritate suorum munerum, ad omnia quæ voluit, benignos obedientesque haberet. In qua re, non multum, ut arbitror, peccavit, quia seminavit carnalia, ut meteret spiritualia. *Adamus pag. 63.*

In Dania supervixerunt, Poppo, theologus, & ille nobilis Odincar, Episcopus, quem pro fide & sanctitate vitæ familiarissimum habuit Archiepiscopus. Hos duos Episcopos solummodo in Jutlant fuisse comperimus, antequam Knut intraret in regnum. Solus autem ex nostris Odincar, transmarinas aliquando visitavit Ecclesias; Esico domi sedit, & cæteros persecutio retardavit. Archiepiscopus etiam alios viros doctissimos ordinavit in Norvegiam & Suediam; Alios vero in Anglia ordinatos, pro amicitia regum, cum satisfacerent ad ædificandam dimisit Ecclesiam. Multos enim illorum secum tetinens, omnes autem, cum abirent, donis cumulans, ad subjectionem Hamburgensis Ecclesiæ reddidit voluntarios. *Adamus pagina 62.*

Victor ergo Knut ab Anglia rediens, in ditioe sua per annos multos, regnum Daniæ possedit, & Angliæ. Quo etiam tempore, multos in Daniam ab Anglia adduxit Episcopos. De quibus Bernardum posuit in Sconiam, Gerbrandum in Selandiam, Reinerum in Fyne. Quod zelatus noster Archiepiscopus, Gerbrandum ab Anglia redeuntem, capisse dicitur, quem ab Elnodo Archiepiscopo Anglorum ordinatum esse cognovit. Ille vero ut necessitas persuasit, satisfaciens, fidelitatem



tem Hamburgensi Ecclesiæ, cum subiectione debita spondens, familiarissimus deinceps Archiepiscopo nostro, effectus est. Per quem ille suos etiam legatos ad Knut, regem, transmittens cum muneribus, congratulatus est ei de rebus bene gestis in Anglia; Sed corripuit eum de præsumptione Episcoporum, quos transtulit ex Anglia. Quod Rex grante accipiens, ita postmodum conjunctus est Archiepiscopo, ut ex sententia ejus, omnia deinceps facere maluerit. *Idem pag. 65.*

## CAP. XXIV.

*De B. SIGFRIDO, Sueciæ ac Norvegiæ Apostolo, ejusq; nepotibus; Beato VINO-MANNO, presbytero; B. SUNAMANO, diacono; & B. UNAMANO, subdiacono; monachis Cluniacensibus & martyribus.*

1916. **H**Abuit secum Beatus Olaus Episcopus, & presbyteros multos ab Anglia, quorum monitu & doctrina, cor suum Deo præparavit, subjectumque populum ad regendum commisit. Ex quibus clari doctrina & virtutibus erant; Sigfrid, Grimchil, Rodolf, & Bernard. Hi jussu Regis, ad Suediam, & Gothiam, cæterasque insulas, quæ trans Normanniam sunt, accedentes, Barbaris Dei verbum & regnum Jesu Christi, Evangelizabant. Misit etiam Rex nuncios ad Archiepiscopum nostrum, cum muneribus, petens suppliciter, ut Episcopus ejus benigne susciperet, suosque ad eum transmitteret, qui rudem Normannorum populum, in Christianitate confortarent. *Adamus pag. 66.*

In Normanniam primus ab Anglia venit quidam Johannes, Episcopus, qui regem cum populo conversum, baptizavit. Cui successit Grimchil, Episcopus, qui tunc erat ad Unvannum Archiepiscopum Regis Olaf legatus. Tertio loco advenit, ille Sigfridus, qui apud Suedos, & Normannos juxta prædicavit, isque duravit usque ad nostram ætatem, cum aliis æque non obscuris in illa gente Sacerdotibus. *Idem pagina 148. & 70.*

Beatus Sigfridus non timore passionis perterritus, sed fidei, & charitatis indutus armis, in terram quæ dicitur Verendia, ad locum Wexiö, seu Ostrobo dictum pervenit, Domino ducente. Ibi vir Dei, tentorium figens, pausam modicam membris indulgit. Ubi in somnis vidit angelum Domini nimio fulgore amictum, sibi assistentem, & dicentem: Surge Deo dilecte, & sequere me. Illo autem in spiritu sequente, duxit eum ad locum, quem certis ædificandæ Ecclesiæ terminis præfixum ostendit, sicque disparuit. In quo loco templum ex lapide constructum postea in honorem ejusdem Sancti, & Johannis baptistæ, quod hodie est cathedrale. *Breviarium Scarense pag. 133.*

Aliquanto post incolæ terræ, cœperunt ad eum concurrere, alii propter admirationem, alii propter devotionem, qui Spiritu Sancto accen-



cenſi, verbum vitæ intentis animis, abſque contradictione percipiebant. Erant autem XII. tribus in hac terra, per quarum magnates ſeu nobiles, Republica regebatur. Atque divina inſpirante gratia, ex iis decretum eſt, ut ex unaquaque tribu eligerentur, qui fidejuſſores reliquorum exiſterent in myſterio baptiſmatis ſuſcipiendo. Hos igitur in primis in fide Catholica benè prius inſtructos, deinde alios in fonte juxta montem Gelboge manantem, baptizavit, & nomina illorum annotavit. Sic domum ſunt dilapſi, & poſt XII. reverſi diem, præter unum, qui mortuus eſt interea, conſtans in fide; quem Beatus Sigfridus Deo precibus commendans, mandat, ut in ſignum fidei, crux juxta ejus defigeretur ſepulcrum. Porrò confluebat multitudo incolarum quotidie ad virum Dei, & baptizabatur in nomine Sacro-Sanctæ Trinitatis, augebaturque indies turba fidelium, Episcopique fama divulgabatur celeberrima. *Breviarium Wexionenſe.*

Interea Regis præfectus, exploratâ conditione advenarum, Olam regem, Scaræ morantem, acceſſit, & juſſus de moribus aliquid referre peregrinorum, reſpondit homines eſſe pacificos; Senem eis præeſſe vultu venerando, qui lintea & candida utatur veſte &c. cumque panem elevaret albiffimum, *inquit*, viſus eſt mihi puerum parvulum valde ſpecioſum, ſibi ardentem, levare. *Johannes Gothus, lib. XVII.*

#### Capite XIX.

Beatus Sigfridus proinde vocatus à Rege in Weſtrogothiam honorificè, neophytos Verendiæ ſuis commendavit nepotibus, Vinamanno, Sunamanno, & Unamanno, & Olam in Huſby conveniens, amanter ſuſcipitur, inque terra illa commorans, plurimos Domino lucratur. Quando & tria ibi conſecravit cœmiteria, nempe in Girhem, Angerſtadum, & Frigacher. *Sic priſca regni documenta.*

Ad Beati Sigfridi prædicationem, multi zelo fidei accenſi, cœperunt utrobique templa conſtruere; Fana & delubra ſubvertere; lucosque ſuccidere. Quibus invidens diabolus Chriſtianæ fidei ſucceſſibus, in abſentia Episcopi, prædicatoribus Verendiæ, procuravit exitium. Nam quidam ibi magnatum, quorum fuit antefignanus, Gunnarus Gröpa, ob pœnitentiam adulteræ impoſitam, à novis Doctoribus offenſi, & ſimul capti deſiderio pretioſæ in Eccleſia ſuppelleſtilis, noctu viros apoſtolicos trucidarunt, & præciſa illorum capita, urnisque inelufa, ſaxo prægrandi oneratis, illa in ſtagno propinquo demerſerunt. Sed corpora illorum ad ſolitudinem protracta, lapidum congeriè obruerunt. Quæ videntes noctu prodi cœlitus per columnam in aère micantem, & interdium vocibus corvorum; Ideoque ſibi timentes, alio illa loco condiderunt, nunquam inveſtigata, ſic occulto Dei judicio exigente, propter hominum peccata. *Breviarium Wexionenſe.*

Vir ſanctus cum de ſuorum nece nepotum nuncium accepiſſet, grates Deo immenſas egit, qui eos de mundo per coronam martyrii ad ſe venire diſpoſuiſſet; & in Verendiam regressus, corporum flagitavit à Domino revelationem, dumque nocturno tempore ſecus ſtagnum deambularet, orans intentè, conſpicit à longe tria luminaria, clarè lucentia ad orientem ferri ſuper æquora, moxque lætus vir Dei proſternitur, & Deo gratias agit, capiraque illico gaudens ad littus detulit. Atque cum ea roſeo adhuc cruore conſperſa, mœrens intueretur, eis compatiendo, dixit: Vindicet Deus. Unum ex capitibus mox intulit: Vindicatum erit. Secundum ad hoc ait: Quando? Tertium, *inquit*: in filios filiorum. *Breviarium Scarenſe pag. 134.*



Interim Rex Olaus, valde compatiens Episcopo, & graviter succensens homicidis, comparato exercitu, in Verendiam advolat. Incolæ autem timore perculsi, auro Regem & Episcopum mitigare conabantur; quod hic recusans, sic Olaus alloquitur: Scimus divitias, & potentiam tuam, ô Rex, & quæ tu offers, aurum & argentum, te magis decent; Mansiones autem in Hoff, & Thirby, quas regia dignitate possides, ad honorem Dei & utilitatem Ecclesiæ ædificandæ, in sempiternum, precor ô Rex piissime, non dedigneris concedere. Nec difficulter voti compos factus, non modò Verendiæ, sed totius Gothiæ, Sueciæque se accinxit conversioni; cui plurimis insudavit annis, & demum ad præmia vocatus æterna, vitam in Domino finivit, XV. Februarii, circa annum Christi, M L. & Wexioniæ tumultus est. *Breviarium Wexionense.*

## CAP. XXV.

## De S. OLAO, Noricorum Rege.

**G**ilbertus is primò vocatus fuit, & inclytum à priscis Norvegiæ regibus genus ducens, abavum habuit Haraldum Pulchricomum, & patrem Haraldum Grensche, matrem verò, Astridam, parti Norvegiæ cum regio honore dominantes. Ac illo in Suecia cremato, sub vitrici cura Sivardi educatus, inque regni divisione nullam ejus partionem adeptus, Regis Daniæ Suenottonis militiam in Anglos sequebatur. Quando etiam in Normanniam Galliæ divertit, cognatum ibi suum invisurus Ducem Wilhelmum, ubi exhortatione Roberti commotus, Rotomagensium Episcopi, dogma Christianum, & sacrum ab ipso baptisma, nomenque Olai suscepit, nec diutius illic moratus, castra repetit Suenonis. Sed MXI. per absentiam ex Norvegia Erici Jerl Proregis, se patriæ dominio potiturum confidens, Angliam posthabita, illam impugnat; Frustra tamen, & proinde anno sequenti convertit arma in Sueones, paternum ulturus interitum, quibus Meleri accolæ populatur.

1013. Hinc porrò in Angliam regressus, & ob cladem Norvegiæ, Sueciæque illaram, Suenonis subveritus iram, ad signa se contulit Edelredi. Quo deinceps vitâ functo, sicut & Suenottone, adversus hujus filium, Canutum, pro Edelredi filiis, acriter pugnavit. Cæterum promissam

1016. regni partem non adeptus, indignabatur, & conversis iterum signis in patriam, hanc auxilio vitrici occupavit.

1017. Reges autem Sueciæ, & Daniæ, Norvegiam recuperaturi, bellum illi moliuntur; Verum Sanctus Olaus petitâ, & obtentâ Sueci filiâ in matrimonium, Astride, hostem placavit utrumque, & scèptrum Norvegiæ securus aliquandiu usurpavit. *Ex historia Islevi.*

In regali fastigio constitutus, spiritu pauper erat, & licet terrenis implicatus negotiis, nihilominus meditabatur coelestia. Quidquid lex prohibet divina, vehementer abhorrebat; Quidquid autem præcipit, ardentissimo complectebatur affectu. Nec propria contentus salute, populos, quibus præerat, ad fidem convertere, vigilantem nitebatur instantia; Et novo rerum ordine, Rex Apostoli vicem gerens, ipse dux verbi, gratiam Christi passim omnibus prædicabat. Non cessabat indefessus Evangelii prædicator, obstinatos convincere, rudes instruere, & in fide teneros confirmare. Nihil regii fastus, nihil tyrannidis in suos exercuit subditos; Sed omnibus præbuit exempla humilitatis, & mansue-



fuetudinis, legesque condidit æquissimas. Confluebant porro certatim ad baptismum populi, & numerus credentium augebatur indies; Effringebantur statuae; Succidebantur luci; Avertebantur delubra; Fabricabantur Ecclesiae; Ordinabantur sacerdotes; Offerebant donaria populi; Erubescabant cultores idolorum, & confitentes in sculptilibus; Augures, sortilegi, divinitores, magi, & incantatores, quibus peculiare Rex Olaus bellum indixit, profligabantur; syncerusque Dei cultus ubique profeminabatur. *Breviarium Scarense.*

Christianæ Beatus Olaus religionis observantissimus, inter alia virtutum suarum præconia, & hoc reliquit exemplum sanctimoniam. Die Dominico, cogitationibus gravatum cum gereret animum, bacillumque teneret manibus, cultello, ut fit, scindulas fecit, non advertens. Admonitus ab astante per jocos de violatione Sabbati, non leviter in se punivit admissum; nam scindulas collegit diligentissimè, manuique suæ impositas, iussit accendi, ut in se ulcisceretur, quod contra divinum incautus præceptum admisisset. *Metropolis Crantzii Libr. IV.*

Capite VIII.

Canutus Daniæ, Angliæque Monarcha, Olai fratris in Suecia dominantis cognita morte, gaudet sibi oblatam invadendæ Norvegiæ occasionem, & mox B. Olao mandat, ut se vasallum Daniæ agnosceret, censusque penderet annuos, vel armis ad imperata cogendus facienda. Quamobrem Norvego illud obsequium penitus averfante, bello se Canutus accingit. Quod ipsum sollicitè facit quoque Olaus, & Jacobus Anundus, Sueciæ Rex, à sororio imploratus, patrique detestatus avaritiam & perfidiam. His deinde Canutus in Sconia congressus, insigni eorum stratagemate profligatur. Quod igitur ferro nequivit, auro effecturus, potentiores Norvegiæ Proceres, Olao clam infelto propter extirpationem idololatriæ, & diabolicæ magiæ, severamque piraticæ inhibitionem, largitionibus ad suas pellexit partes; Quorum conspiratione, Canuti roboratâ subsidio, sanctus Rex patriam expulsus, ad Jacobum cum uxore, & liberis in Sueciam inde profugit. Canutus autem Norvegia potitus, Proregem ibi constituit Haquinum Jerl, & Daniam cum triumpho, non satis honestè obtento, repetivit. Sed B. Olaus anno proximo, ex Suecia in Russiam secessit; Quando Haquinus in regno successor, in Anglica interiit navigatione. Hinc lætati, & animati optimates quidam Norvegiæ meliores, Olaique fautores exulantis, missò quantocius nuncio in Russiam, & auxilio promisso, reditum illi persuaserunt. Qui copias in Russia, & Suecia nactus auxiliares, nempe tria pugnatorum millia, in patriam regrediebatur, & ab adversariis, X. millibus hominum stipatis, exceptus in villa Stichelstadenfi, XXIX. Julii, cum præcipuis commilitonum occubuit, Anno M XXVIII. Sepultus autem loco pugnae ab uno amicorum clam, signis innotuit, & postea Nidrosiam translatus, honorificè tumulo mandabatur, exhumatusque demum, & argenteo impositus loculo, in ara collocabatur. *Islerus, aliique scriptores vetusti.*

Nocte verò diem præcedente, quâ inclytus Martyr passus est, apparuit illi Dominus IESUS, verbis consolatoriis demulcens illum, dicensque: Accede ad me, dilecte mi, ut laborum tuorum fructus dulcissimos in sempiterna carpas lætitia, nostro fruens consortio. Quâ visione admodum confortatus, passioni se lætus obtulit, jam divinitus scalas sperans, quas nuper in somnis ad cœlos viderat erectas, feliciter per



illas ascensurus ad dulcedinem, quam modicè prægustaverat. Imperator Græcus in prælio oppressus, & attritus ab exercitu Barbarorum, deposcit opem Martyris gloriosi; qui repente Christianis apparens, illos præcedit, insignis velut signifer, hostilemque profundit exercitum. Cæsar victoriam Deo, & S. Olao, acceptam referens, magnificam Constantinopoli condit utrique basilicam, hodie de Sancto Olao nuncupatam. *Breviarium Nidrosiense.*

Igitur Olaph Rex & Martyr tali fine consummatus est, corpusque ejus in civitate magna regni sui, quæ Throndemnis dicitur, cum decenti est honore tumulatum; ubi usque hodiè pluribus miraculis, & sanitatibus, quæ per eum fiunt, Dominus ostendere dignatus est, quanti meriti sit in cælis, qui sic glorificatur in terris! Regnavit verò annis XII. Cujus passionis festivitas agitur III. Calend. Augusti, omnibus Septentrionalis Oceani populis, Sueonum, Gothorum, Semborum, Danorum, atque Slavorum, æterno cultu memorabilis. *Adamus pag. 68.*

### CAP. XXVI.

#### De ODINCHARO, juniore, III Ripensium Episcopo.

**O**Dincari Senioris discipulus, & nepos fuit alter Odincar, junior, & ipse nobilis, de regio semine Danorum, adeò dives agri, ut ex illius patrimonio, Episcopatum Ripensem narrent fundatum. Quem Bremæ dudum scholis traditum, Pontifex Adaldagus, manibus suis baptizavit, suoque nomine Adaldagum vocavit. Is ergo à Libentio Archiepiscopo nunc ordinatus in gentes, apud Ripam accepit sedem. Nam & illustri vitâ, & sanctæ conversationis, Deo, & hominibus, acceptus erat, & Christianitatem in Dania fortissimè defendit. *Adamus pag. 56.*

Iste Odincar à Rege Knut in Angliam ductus, literis est eruditus. Deindè discendo peruagatus, sapientis & philosophi nomen accepit; unde & Theocarus nomen sortiri meruit. *Scholias tes Adami.*

### CAP. XXVII.

#### De martyrio VALFREDI, natione Angli.

circa  
1026.

**P**ER idem tempus quidam ab Anglia Valfredus nomine, instinctu amoris divini, Suediam ingressus, paganis verbum Dei cum magna fiducia prædicavit. Qui dum multos ad fidem Christianam sua prædicatione convertisset, idolum gentis nomine Thorstang, in concilio paganorum cœpit anathematizare, simulque arreptâ bipenni, simulacrum in frustra concidit. Qui pro talibus ausis statim mille confossus vulneribus, animam martyrii laureâ dignam, transmisit in cælum; cujus corpus Barbari laniatum, post multa ludibria merferunt in paludem. Hæc veraciter comperta, memoriæ tradidi. *Adamus pag. 68.*

### CAP. XXVIII.

#### De ANUNDO JACOBO Sueonum Rege.

1015.

**P**Rætereâ duos idem Rex Olaus fertur habuisse filios, quos ambos, una cum uxore sua, ac populo, baptizari præcepit. Quorum unus, qui na-



natus est ex concubina, Emund nomen habuit: Alter Anund, quem ex legitima Rex genuit uxore, qui cognomento fidei & gratiæ dictus est Jacobus. Juvenis quidem ætate, verum sapientiâ & pietate, omnes præcessit, qui fuerunt ante illum; nec quisquam regum fuit populo Sueonum tam acceptus, sicut Anundus. *Adamus pag. 67.*

Eodem tempore memorabiles Aquilonis Reges obierunt, Knut & Olaph, fratres uterini. Quorum alter, videlicet Olaph, Rex Sueonum, successorem regni habuit filium, de quo supra diximus, Jacobum, sub quo Junior Suein, filius Wolff, militavit in Suedia, XII. annis; Qui etiam nobis retulit, Jacobo regnante Christianitatem latè in Sueonia diffusam esse. *Idem pag. 74.*

Cumque hæc ibi gesta essent, Christianissimus Sueonum Rex Jacobus migravit à seculo, & successit ei frater ipsius, Emund Gammul, pessimus. *Idem pag. 86.*

## CAP. XXIX.

## De Beato DAVIDE in Munchatorp Abbate ordinis Cluniacensis.

Dilectus Deo David, ex Anglia oriundus, parentes ibi habuit nobiles, non tantum ingenuitate sanguinis; sed & fidei Catholicæ præclaros synceritate. Qui devotione assidui, & Christianæ fidei zelatores præcipui, filium S. David imbuendum liberalibus studiis tradiderunt. Is puerilibus postmodum annis, ut Patriarcha Jacob, domi simpliciter transactis, cæpit indolis bonæ adolescens, non solum literarum scientiâ proficere affluenter, sed & morum devotione, & vitæ perfectæ probitate pollere. Videns autem vir sanctus, & diligenter attendens, se tam per rerum temporalium sollicitudines, quam etiam per consanguineorum suorum importunas frequentias, in Dei servitio multipliciter impediri, universa quæ habuit, distraxit, ac Christi pauperibus erogavit, sicque ordinem est ingressus Cluniacensem.

Ubi occultius suæ mentis secretarium nactus, in arctissima vitam abstinentia duxit, utque armaturam Christi suo ferret in corpore, tantæ disciplinæ rigiditate sensuales appetitus atterebat, ut vix necessaria sumeret sustentationi naturæ. Difficile enim sciebat esse, sensualitati satisfacere, & pronitati corporis non parere. Audito autem quod amabiles Deo, gloriosi martyres, B. Sigfridi nepotes, cecidissent, mirando compassionis dolore confossus quiescere non potuit, donec ad partes homicidarum illorum perveniret, ut & ipse desideratam martyrii coronam attingere posset.

Perambulans igitur inferiores Sueciæ partes, tantâ mentis constantiâ, tantoque fervore spiritus, annunciavit omnibus Dei verbum, ut veraciter in eo claresceret, quod ipse à Christo accepisset os & sapientiam, cui non possent contradicere adversarii veritatis. Progrediens deinceps ultra, pervenit ad oras Sueciæ superiores, in terram, quæ dicitur Vesmania, ibique ex consilio, & præcepto B. Sigfridi, sedem fixit, & præcipuè apud Ecclesiam Suanvingensem. Quantis verò sollicitudinibus & periculis; quantis laboribus, & ærumnis, ibi vixit, paucis non potest verbis explicari. Nam diebus per villas, oppidaque circumiens, verbum Dei prædicavit; Noctibus autem in sacris vigiliis orans, lachrymosis gemitibus se, & prolem suam, quam in Domino numerosam genuerat, commendavit,



ut jam quasi Moyses, medius inter Deum & populum, divinam clementiam pro peccatoribus jugiter interpellaret. *Breviarium Arosiense, pagina 74.*

Tempore quodam, oculis ejus senio & lachrymis, caligatis, solus in sella orat, existimans esse baculum radios solis per fenestram intrantes, in ipsis suspendit chirotecas. Veniente autem illo ad Ecclesiam, & mittente quendam pro chirotecis, eas sine omni fulcimento invenit in aëre pendere. *Breviarium Upsalense.*

25 Junii Demum hujusmodi confectus laboribus, sanctam creatori animam tradidit, & corpus in Ecclesia conditum decenter Suanvingensi, multis coruscavit diu miraculis. *Breviarium Arosiense pagina 74.*

### CAP. XXX.

#### De LIBENTIO, X. Scondiæ Metro- politano.

1029. **L**ibentius itaque bonus in præpositura, multò melior in cathedra, legationem suam ad gentes ferventi animo ingressus est. Et primò omnium concilians sibi Knut Regem Danorum, in Seland Gerbrando subrogavit Avoconem; In Aldenburg, ordinavit Meinhardum. Turgoto autem posuit successorem de Ramsola Goteschalcum Episcopum. Illis namque diebus, beatissimus Turgoth Episcopus, pro labore prædicationis, Bremæ cum Archiepiscopo diutius consistens, asperrimo lepræ percussus morbo, diem vocationis suæ, cum magna expectavit patientia. 1030. Tandem bono consummatus fine, in S. Petri sepultus est basilica; ubi & Folquardus, & Harich, magnus Odincarus, & Poppo in pace requiescunt. Aderant verò tunc cum Archiepiscopo, prædicatores inelyti, Odincar junior ex Dania; Sigafred à Suedia; & Rodolph à 1031. Normannia, Episcopi, narrantes ei quanta fecerit Dominus in salute gentium, quæ quotidie convertebantur ad Dominum. Quos noster Pontifex, ut par fuit, honorificè dimissos, ad prædicationem denuò misit. Tempore illo, Conradus Imperator, filiam Knut Regis, Henrico filio suo accepit in matrimonium. Et regio statim fastu Italiam ingressus, Knut Regem itineris sui habet comitem, potentiâ trium regnorum barbaris gentibus valde terribilem; regno tamen fecit justitiam. Ille autem cum tres haberet filios, singulos super singula posuit regna, ipsemet aliquandò visitans Danos; aliquando verò Normannos, sæpissimè autem sedit in Anglia. *Adamus pag. 70.*

### CAP. XXXI.

#### De Beato HALVARDO, in Norvegia.

**S**anctus Halvardus ex nobilioribus ortus natalibus, cujus pater Vebiorn, mater Thorni, dicebantur. Mater verò Thorni fuit filia Gudbrandi comitis, qui genuit etiam Estrid Sancti Olai matrem. Erat corpore castus; honestate præpollens; justitiæ cultor. Factus adolescens, cœpit in re familiari procuranda, adjutor patris existere. Duo pondera sibi fecerat, ut minus fraudem sibi faceret; fratri verò majus pensabat.

Instante verno tempore, partes vicinas visitavit, venitque ad stagnum Dram nomine, per quod iturus erat, ubi extraxit modicam de alga



alga lintrem, & ascendit eam, & subito advenit mulier prægnans, ipsum rogans, ut eam secum ferret, jussaque sedit in puppi, & sic iter arripuit. Mox videt tres viros, itinere quo mulier venerat, ad litus accurrentes; Qui statim aliam arripientes cymbam, post eos velocius navigabant. Tunc B. Halvardus mulieri ait; noscis hos? Respondit, agnosco. Ut video, te quærunt, quid fecisti? Ait, imponunt super me causam furti. Potès te purgare? Ait, possum, si mihi parcere velint. Interim viri prædicti venientes dixerunt: Cur tu Halvarde, talis adolescens, tam malam suscepisti mulierem tuendam, quæ digna est morte? Sanctus pro ea multis respondit modis, inter alia dicens: Redemptionem pro ea dabo, tantum nè occidatis prægnantem, & habentem in utero infantem. Illi verò contra illum furentes, & unus eorum arripiens arcum intendit, & sagitta fortiter emissa, pectori Martyris infigitur; Quando & mulier occiditur, & in litore sepelitur. Porrò ad collum B. Halvardi saxo ligato, ipsum in profundo maris demerferunt. Sed per gratiam divinam, & merita martyris, corpus ejus longè post cum saxo super mare natans, est repertum. *Breviarium Nidrosiense.*

1032.  
15. Maji.

Halvardus quidam nomine, inter Normannos sanctâ conversatione diu vivens, ac latenter, abscondi non potuit. Is igitur dum protexit inimicum, occisus est ab amicis. Ad cujus requietionis locum, magna hodiè sanitarum miracula populis declarantur. *Adamus pagina 112.*

## CAP. XXXII.

## De Sancto ERICO, Martyre.

ERICUS quidam peregrinus, dum apud Sueones prædicaret ulteriores, martyrii palmam, capitis abscisione, meruit. *Adamus pagina 112. ex relatione Suenonis Ulphonii, in Dania regis.*

## CAP. XXXIII.

## De ADALBERTO, XIII. &amp; ultimo Scondiæ Metropolitanano.

IN legatione autem Ecclesiæ Hamburgensis, quæ ad gentes fieri solet, quamvis magnus Pontifex Adalbertus, vigilanter omnes prædecessores suos laborasse cognoverit; Ipse tamen magnificentius, quam cæteri, potentiam Archiepiscopalem, longè lateque in exteras protendebat nationes. Ad quem extremi Gronlandi, & Islandi, Gothorumque, & Orchardum venientes legati, petunt ut illuc dirigeret prædicatores, quod & statim fecit. Nam & in Daniam, Suediam, Norvegiam, & insulas maris, ordinavit multos Episcopos. *Adamus pagina 126.*

circa  
1044.

In Dania IX. constituit; Ratolphum ad Slasvig; Odonem ad Ripam; Christianum ad Arhufin; Heribertum ad Wiborgon; Magnum & Albericum in Vendilam; Eilbertum in Farriam, & Fynem; Wilhelmum in Seland; Eginonem in Sconiam. In Suediam verò consecravit VI, Adalvardum, & Acilinum; Item Adalvardum, & Tadicum; Nec non Simonem, atque Johannem monachum. In Norvegiam duos tantum ipse consecravit, Tholf & Sivardum. Cæterum aliundè

or-



ordinatos, cum sibi satisfacerent, & secum misericorditer tenuit, & abeuntes hilariter dimisit; Sicut Meinardum, Osmundum, Bernardum, & Asgotum, aliosque. Præterea Thurolfum quendam, posuit ad Orchadas, & alium quendam, Albertum; Islef ad Island. Illuc etiam misit Johannem in Scotia ordinatum. *Idem pag. 128.*

Post quorum excessum, noster Metropolitanus, petentibus Normannorum populis, ordinavit Tholf Episcopum in civitate Throndemni, & Sigvardum in easdem partes. Asgotum verò, & Bernardum, licet molestè ferret à Papa consecratos; tamen accepta satisfactione, dimisit à se donatos &c. Inter Normannos tamen, & Sueones, propter novellam Christianitatis plantationem, adhuc nulli Episcopatus certo limite sunt designati; Sed unusquisque Episcoporum à Rege, vel populo assumptus, communiter ædificat Ecclesiam, & circumiens regionem, quantos potest, ad Christianitatem trahit, eosque gubernat sine invidia, quam diu vivit. *Idem pagina 148.*

## CAP. XXXIV.

De Sancto AD ALVARDO, Scarensium  
Episcopo.

**E**Mund Gamul, Rex Sueciæ, pessimus; Nam iste à concubina Olaph  
1051. natus erat, & cum baptizatus esset, non multum de Christiana reli-  
gione curavit, habuitque secum quendam Episcopum nomine, Os-  
mund acephalum, quem dudum Sigafrius, Normannorum Episcopus,  
Bremæ scholis docendum commendavit. Verum is postea bene-  
ficio oblitus, Romam pro ordinatione accessit, indeque repulsus,  
per multa loca circumivit erroneus, & sic demum meruit à quo-  
dam Polonia ordinari Archiepiscopo; qui veniens in Suediam,  
jactavit se à Papa consecratum, ad illas partes Archiepiscopum.  
1052. Atque cum Archiepiscopus noster legatos suos ad Regem dirigeret  
Emundum, invenerunt ibi eundem gyrovagum, Osmundum, crucem  
Archiepiscopali more ante se ferentem. Audierunt etiam quod Barbaros  
adhuc neophytos, non sanam doctrinam fidei nostræ corruperit.

Quorum ille territus præsentia, solitis Regem populumque dolis  
impulit, ut legati repellerentur, quasi sigillum Apostolici non habentes.  
Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni sunt  
habiti, pro nomine JESU pati contumeliam. Erant autem legati fratres  
Bremensis Ecclesiæ, quorum potissimus fuit Adalvardus senior, olim no-  
stri decanus claustrum; verum tunc Sueonum genti ordinatus Episcopus.  
De cujus viri virtutibus multa possent dici, nisi ad alia properarem.

Legatos igitur à Sueonibus tali modo repulsos, quidam nepos, an  
privignus Regis, ignoro, profecutus eos cum lachrymis, suppliciter se  
commendans orationibus eorum. Nomen ei Stenchel erat, isque solus  
super fratres misericordiam motus, obtulit illis munera, transmisitque eos  
per montana Suedorum salvos, usque ad sanctissimam Gude Reginam,  
quæ à Rege Danorum ob consanguinitatem separata, in prædiis suis  
trans Daniam commorata est, hospitalitati, eleemosynæque vacans, &  
cæteris insistens sanctitatis operibus. Quæ legatos cum ingenti honore,  
quasi à Deo missos, recipiens, magna per eos xeniam misit Archiepi-  
scopo nostro.



Interea Sueones, qui Episcopum suum repulerant, divina ultio subsecuta. Et primum quidem filius Regis, nomine Anund, à patre missus, ut dilataret imperium, cum in patriam fœminarum pervenisset, 1053. quas nos Amazones vocamus, veneno, quod illæ fontibus immiscuis-  
sent, tam ipse, quam exercitus illius perierunt. Deinde cum aliis cla- 1055. dibus, tanta siccitas, & frugum sterilitas Sueones afflixit, ut missis ad Archiepiscopum legatis, Episcopum suum cum satisfactione reposcerent, fidem gentis pollicentes. Gavissus ergò Pontifex, petenti gregi Adalvardum præfecit pastorem. Qui perveniens in Sueoniam, tantâ omnium suscipi alacritate meruit, ut gentem Vermilorum, & Schyfinnorum, Christo integram sit lucratus, ac etiam miracula virtutum in populo fecisse dicatur &c. Hæc de Sueonibus suo tempore gesta, sermone Archiepiscopus amplifico omnia describens, etiam visionem quandam Adalvardi Episcopi, quâ monitus est, ut evangelizandi gratia pergere non tardaret, curavit annectere. *Adamus pag. 89.*

Primus Gothorum Episcopus, Thurgot fuit; Secundus Godescaleus, vir sapiens & bonus, nisi quod domi sedens, otium labori prætulit. Tertium verò noster ordinavit Metropolitanus, Adalvardum seniorem, verè laudabilem virum. Qui deinde ad Barbaros perveniens, sicut docuit, ita vixit. Nam sanctè vivendo, ac benè docendo, magnam gentium multitudinem ad Christianam convertit fidem. Qui etiam virtutum claruit miraculis, ita, ut poscentibus in necessitate Barbaris, imbrem de cœlo faceret descendere, & denuò serenitatem venire. Is autem vir memorabilis, in Gothia permanens, nomen Domini Jesu constanter omnibus prædicavit, ibidemque post agones multos, quos pro Christo libenter sustinuit, victricem terræ carnem tradidit, spiritus cœlum petiit laureatus. *Idem pagina 142.*

Libentius Archiepiscopus piratas, qui Episcopatum vastabant, anathemate damnavit, quorum unus in Norvegia deficiens per annos LXX. integro permanit corpore, usque ad Domini Adalberti tempora, quando Adalvardus Episcopus illuc veniens defunctum vinculo excommunicationis absolvit, & mox cadaver in cinerem est solutum. *Idem pagina 55.*

Adalvardus quoque invitatus à Rege Haraldo in Norvegiam venit, & pro sanctitate, & fama virtutum ejus, honorificè est susceptus; cui abeunti Rex tantum pecuniæ obtulit, ut exinde statim CCC. redimeret captivos. *Adami Scholiastes.*

## CAP. XXXV.

## De STENCHILLO, Sueonum Rege, &amp; GNIPH satrapa.

Eodem tempore mortuus est Emund Rex Sueonum, post quem Stenchil nepos ejus, de quo supra diximus, levatur in regnum. Qui fidelis erat Domino Jesu Christo, & de cujus religione omnes fratres testimonium perhibebant, qui eas partes adiverant. *Adamus pagina 88.*

In Sueonia per idem tempus Christianissimus Rex Stenchil defunctus est; post quem duobus Ericis de regno certantibus, omnes 1067.



Suedorum potentes in bello feruntur occubuisse : Nam & ambo Reges ibi perierunt. Ità prorsus deficiente omni regali profapiâ , & status regni mutatus , & Christianitas ibi turbata est valde. Episcopi quos illuc Metropolitanus ordinaverat , persecutionem metuentes , domi federunt. Solus Episcopus Sconiaë , procuravit Ecclesias Gothorum ; Et quidam Sueonum satrapa Gniph , ad Christianitatem confortavit ibi populum.  
*Adamus pagina III.*

## CAP. XXXVI.

*De Beato STEPHANO, Gestricia, Medelpadia, Angermannia, Jemptia & Helsingia Apostolo.*

**H**elsingaland regio est, & civitas ibi maxima, quò primus est ab Archiepiscopo designatus, Stenphi Episcopus, quem ipse mutato nomine Simonem vocavit. Qui etiam multos earum gentium sua prædicatione lucratus est. *Adamus pagina. 142.*

Cæsus porrò fuit B. Stephanus ab infidelibus inter Gestriciam & Helsingiam, in sylva Odmalen vulgò dicta, & sepultus apud Ecclesiam Helsingiaë Noralensem. *Ex Archivo regni.*

## CAP. XXXVII.

*De ADALVARDO juniore, Sigtonensium Episcopo.*

**I**N eadem provincia nuper res contigit memorabilis, & pro dignitate Gestorum longè divulgata, pervenit etiam ad notitiam Pontificis. Quidam enim ex sacerdotibus, qui apud Upsalam dæmonibus astare solebat, nequicquam juvantibus Diis, factus est cæcus. Cumque vir sapiens, infortunium orbitatis suæ idolorum culturæ imputaret, quæ superstitione venerans potentissimum Christianorum offendisse Deum videretur; Ecce ipsâ nocte apparet sibi virgo decora nimis, interrogans, si in filium ejus credere vellet, ut visum reciperet, abjectis, quæ ante colebat, simulachris? Tunc ille, qui nihil ardui renueret subire pro hoc dono, ità se facere lætus spondit. Ad hæc virgo, scito, inquit, certissimè hunc locum, ubi nunc tantus innocentium cruor effunditur, in meo dedicandum proximè honore. In qua re nè tibi aliqua dubietatis signa remaneant, in nomine Christi, qui est filius meus, tu recipe lumen oculorum tuorum. Mox ille lumine recepto, credidit, pertransiensque totas in circuitu regiones, facili fide paganis persuasit, ut crederent in eum, qui cæcum illuminavit.

Quibus miraculorum causis impellentibus, statim noster Metropolitanus obediens voci, quæ dicit: Respicite, & levate oculos vestros, quoniam regiones jam albæ sunt ad messem. Ordinavit in eas partes, Adalvardum juniorem, de Bremensi choro assumptum, virum literis & morum probitate fulgentem. Cui etiam per legatos clarissimi Regis Sten-



Stenchil, sedem posuit in Sigtona civitate, quæ distat ab Upsala itinere diei unius &c. Relatum est autem nobis à quibusdam Adalvardi stipatoribus Episcopi, cum Sigtonam primum accessisset ad unam missarum celebrationem, ad manum illi oblatas LXX. marcas argenti. Tantæ enim devotionis sunt omnes populi arcticæ plagæ. Tunc etiam occasione itineris divertit Birkam, quæ nunc in solitudinem redacta est, ita ut vestigia civitatis vix appareant; Quare nec tumulus S. Unni Archiepiscopi potuit inveniri.

Adalvardus igitur Evangelii magno prædicandi fervore Suediam ingressus, omnes qui in Sigtona erant, & in circuitu, brevi temporis spatio ad fidem perduxit Christianam. Conspiravit etiam cum sanctissimo viro Eginone, Sconienfi Episcopo, ut pariter adirent illud templum paganorum, quod Upsala dicitur, si fortè aliquem Christo laboris sui fructum ibi possent offerre, omnia tormentorum genera libenter suscepturi, ut illa destrueretur domus, quæ caput erat barbaricæ superstitionis. Illa enim diruta, vel potius crematâ, fore, ut tota gentis conversio sequeretur. Quam confessorum Dei voluntatem, piissimus Rex Stenchil in populo sentiens murmurari, callidè submovit eos à tali cœpto, asserens & illos statim morte damnandos, & se à regno depellendum, qui malefactores in patriam duxisset, & facile omnes ad paganismum relapsuros, qui nunc crederent, sicut nuper factum in Slavonia posset videri. Talibus Regis allocutionibus consentientes Episcopi, omnes Gothorum civitates peragrabant, idola confringentes, & multa paganorum millia deinceps ad Christianitatem trahentes. *Adamus pag. 145.*

Adalvardus autem junior, eo tempore veniens in Gothiam, cognominem suum reperit infirmum, cujus exequias cum luctu procurans, Sigtoniam properavit. Sed postea cum repulsus esset à paganis, invitatus venit ad Scaranem civitatem, quod nostro Archiepiscopo valde displicuit; quare sicut violatorem canonum Bremam eum vocavit. *Adami vetus Scholiastes, & ipsemet Adamus pag. 128.*

1067.

## CAP. XXXVIII.

De B. EGINONE, Sconorum, Hallandorum, Blechingorum, Borenholmensium, & Gothorum Apostolo.

Sconia bis tantum habet in spacio, ut Sielandia, hoc est, CCC. Ecclesias, cum Seland dicatur hodiè dimidium habere Fyne; tertiam partem. In eadem regione Sconia nemo Episcopus fuit adhuc incardinatus, nisi quòd ab aliis partibus quidam venientes interdum illam procurarint diœcesin. Deinde Gerbrand, Seladensis Episcopus, & post eum Avoco, simul utramque gubernabant Ecclesiam. Nuper verò mortuo Avocone, Rex Suein parochiam Sconiensem in duos Episcopatus segregavit, unum, id est, Lundensem, Henrico tribuens; Alterum, id est, Dalbogensem, Eginoni, quem ordinavit Archiepiscopus. Henricus autem apud Orchadas fuit ante Episcopus, isque in Anglia facellanus Regis Knut fuisse narratur &c.

1065.

Cæterum Eginone cum esset vir sapiens, & literatus, ac insignis



castitate, tunc etiam totum ejus exarsit studium in conversione paganorum. Quapropter multos adhuc populos, idolorum cultui deditos vir ille Christo lucratus est; Illos præsertim Barbaros, qui dicuntur Bleichani, & qui in Hulmo degunt insula, qui omnes ad ipsius prædicationem conversi in lachrymas, pœnitentiam sui erroris ita monstrarunt, ut contractis statim idolis, ultrò certarent ad baptismum properare. Mox etiam thesauros, & omnia, quæ habebant, sternerentes ad pedes Episcopi, flagitabant, ut hæc dignaretur accipere. Quod renuens Episcopus, docuit eos ex eadem pecunia fabricare Ecclesias, egenos alere, & captivos redimere, qui multi essent in illis partibus.

Fertur idem vir magnanimus eo tempore, quo in Suediam persecutio magna Christianitatis incanduit, Scarensem Ecclesiam, cæterosque fideles, eò quod pastore carerent, frequenter visitasse, consolationem iis ministrans, qui in Christum crediderant, incredulis verbum Dei simul annuncians; Ibi etiam opinatissimum Fricconis simulacrum, in frustra concidit. Pro quibus virtutum insignibus, à Rege Danorum magno deinceps vir Dei honore habitus, defuncto mox pingui Henrico, utramque Sconiaë parochiam, scilicet Lundensem & Dalbogensem, recepit gubernandam. Qui mox Lundæ sedem Episcopalem constituens, apud Dalbogiam præposituram fratrum regulariter viventium esse præcepit. Itaque XII. annis in sacerdotio nobiliter exactis, clarissimus vir Eginus, à Romana regressus urbe, mox ut domum pervenit, feliciter migravit ad Christum, eodem quo noster Metropolitanus, & Fyonensis Episcopus, anno decesserunt. *Adamus pagina 134.*

1072.

## CAP. XXXIX.

De SUENONE ULPHONIO, Dano.  
rum Rege.

**N**arravit nobis, diu memorandus Rex Danorum, qui omnes Barbarorum res gestas, ac si scriptæ essent, in memoria tenuit. &c. *Adamus pagina 59.*

Illo tempore clarissimus inter Barbaros fuit, Suein Rex Danorum, qui Reges Normannorum Olaph & Magnum constrinxit magna virtute, &c. Christianitas autem ab isto Suein Rege, in exterarum nationes longè latèque diffusa est; & cum multis polleret virtutibus, solâ ægrotauit luxuria. Novissimis Archiepiscopi temporibus, cum ego Bremam veni, auditâ ejusdem Regis sapientiâ, mox ad eum venire disposui, à quo etiam clementissimè susceptus, ut omnes, magnam hujus libelli materiam ex ore illius collegi. Erat enim scientiâ literarum eruditus, & liberalissimus in exterraneos, ipseque prædicatores suos clericos in omnem Suediam direxit, & Normanniam, atque insulas, quæ sunt in illis partibus. Cujus veraci, & dulcissimâ narratione, didici, suo tempore multos ex Barbaris nationibus ad Christianam fidem conversos; aliquos etiam tam in Suedia quam Norvegia martyrio coronatos. *Idem pag. 112.*

*Non paucos etiam in Dania fundavit Rex Sueno Episcopatus, ut liquet ex vita Eginonis, & Huitfeldii chronologia.*

CAP.



## CAP. I.

## Libri II. in Historia Sanctorum Scondicorum.

De Beato WILHELMO Roschildensium  
Episcopo.

W ilhelmus olim Episcopus Roschildensis, præstantibus Dei relucebat donis, pietate, religione, percelebri vitâ, & sanctâ, omnique virtutum genere illustri, adeo ut incerto erat, is nè officio tali dignior erat, an illo officium. Tam spectatum Episcopatus præstitit sui exemplum; hic fretus innocentia, atque item justo, injusti homicidii dolore permotus. Quod à Rege factum erat libidine magis, quam ratione, Regem ipsum quamvis magnum, & tali potentem regno comitatuque stipatum, magno repulsum baculo, prohibuit templo, rebusque sacris, donec pœnitens facti, in gratiam cum Ecclesia ac Deo offenso rediisset. His actis, tempore non ita multo post, mortui jam Regis huc deferbatur funus. Quod ut rescitum appropinquare urbi, duo sepulera confici jussit, duobus etiam feretris adornatus ibat Vilhelmus obviam. Postquam ad funus ventum est, oratione facta, ut illi, quem in terris Deo Patri lucrifecerat sanam per admonitionem, commori possit, mox membra collapsus, animam sanctam cœlo reddidit. Atque inde uterque suo loculo impositus, hanc sacram ad ædem, mirabile dictu, magno omnium stupore, deportati sunt. Wilhelmo honorificè sepulto, ac de more Episcopalibus insignibus, una cum illo terrâ conditis, novo Deus funus miraculo hominum memoriæ consecravit. Nam ipsa membra, ut obruta cumulo terræ, ultrò sepulcrum reddidit. Translatum ergò huc funus est, ac magna cum religione hoc in loco commendatum sepulturæ.

Hoc est Epitaphium S. Wilhelmi, quod hodie prostat in Ecclesia Roschildensi. Sed copiosius de isto agit sancto, Crantzius in sua Dania Lib. IV. Capite XXXIII. & XXXVI. Saxo pagina 195. & Huittfeldius Tomo I. pagina 189.

## CAP. II.

De Regina GUDE, filia Jacobi Sueciæ, &  
uxore Suenonis Daniæ, Regum.

S tenchil transmisit Adalvardum & socios per montana Suedorum salvos, usque ad sanctissimam Gude Reginam; quæ à Danorum Rege pro consanguinitate separata, in prædiis suis trans Daniam commorata est, hospitalitati elemosynisque vacans, & cæteris sanctitatis insistens operibus. Quæ legatos cum ingenti honore, quasi à Deo missos suscipiens, magna per eos xenia misit Archiepiscopo. Adamus pagina 87.

Gude quoque paternos repetens penates, susceptis viduitatis insignibus, cum summa morum sinceritate consenuit; castitatemque votis professa, virilis concubitus experientiam abdicavit. Sanctitatis siquidem



amplexa propositum, reliquum vitæ tempus cælebs exegit. Sed nec inerti ocio effluere passa, consuetudine quotidiana, exquisita sacrariorum ornamenta fingeat, inque eandem operam, continuam ancillarum copiam cogebat. *Saxo libro XI. pag. 188.*

## CAP. III.

*De EMUNDO, Sueonum Rege.*

**I**dolum Upsalense, tam pertinaciter gentiles coluere, ut Reges etiam suos Christi sacris initiatos, adigerent munera in templum mittere, alioqui regno exigendos. Inventus est Rex, tantum in Christi religione fervens devotione, inclytus Emunder, ut regno carere potius, quam sacrilegio fidem suam polluere maluerit. Ibat itaque gaudens à conspectu concilii, quoniam dignus habitus est pro nomine Christi abjici & regno destitui. *Crantzjus lib. V. sue Suecia cap. XII.*

## CAP. IV.

*De S. BOTHVIDO, Sudermanno.*

**G**loriosus Christi martyr Bothvidus, in regno Sueciæ ex honestis parentibus, licet paganis, oriundus, cum adhuc juvenis esset, nè ociosus commederet panem suum, negotiationis causa in Angliam feliciter est profectus. Martyr ergò Christi divino nutu à quodam ibi sacerdote, miræ sanctitatis, & scientiæ viro, susceptus est hospitio; vitamque suam cum omni obedientia, & mansuetudine, sacerdotis moribus conformavit. Cernens verò sacerdos Bothvidum ceu paganum, à fide penitus alienum, ipsum in articulis fidei perfectissimè erudit, ut perfectio discipuli, gaudium foret magistri, & corona. Audiens inde humilis discipulus, à salutis suæ magistro, de baptismi virtutibus, ipsum sibi petiit humiliter à presbytero impertiri, quod & factum est. Deinde sub ipsius sacerdotis disciplinâ ferè per dimidium annum in Anglia moram traxit, demumque exemplo illius felicitis Eunuchi, qui à Philippo baptizatus, ibat per viam suam gaudens, in propriam rediit regionem, ubi incredulos ad fidem Dominicam, exemplis, & salubribus exhortationibus reduxit.

Cum autem die quadam tempore vernali, quando pisces ad excutiendum à se seminaria sua glomerarent, & in majori abundantia capiuntur, contigit ut B. Bothvidus cum familiaribus suis, & vicinis, apud quandam insulam pro capturâ piscium se pararet. Superveniens itaque possessor loci illius, Bovinus nomine, retia iis laxare prohibuit, nisi quartam partem de capturâ piscium sibi promitterent, se daturus. Beatus autem vir malens liti cedere, quam inaniter contendere, ad propriam insulam, quæ in eodem stagno est, rediens, in terramque descendens, & vacans orationi, famulis suis, ut ibi traherent, imperavit. Mira res, dum beatus vir ibi procumbendo oravit, Deus orationem ejus exaudiens, tantam copiam piscium donavit famulis, ut ambas implerent naviculas. Quod vir Dei videns, suis dixit: Laudemus Deum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt; qui etiam hoc dedit nobis munus.

Audientes porrò qui circa possessionem ipsius Bovini per totam noctem pro capiendis piscibus in vanum laborassent, miraculi virtutem, illicò ad sanctum virum properant; Et obtentâ ab eo licentiâ, naves suas



suas piscibus repleverunt, solo Bovino nihil in captura proficiente, qui prædicatione deinceps S. Bothvidi ad fidem catholicam est conversus. Cum denique placuit Deo omnipotenti, ut famulo suo Bothvido præmium laboris donaret, accidit, ut quendam Slavum, quem à captivitate redemerat, & baptizari fecerat, ac libertati donaverat, remittere vellet in patriam, utque commodius hoc fieret, cum illo navigat Gothlandiam versus. Atque labore fatigati, ad quandam insulam, Rogö vocatam, applicuerunt, ubi post jejunia & labores, & orationes, sub quadam arbore, S. Bothvidus obdormiens, propriâ securi à Slavo præfato trucidatur. Cum vero parentes, & familia ejus, propter diuturnam absentiam ipsius, nimium tristarentur, decreverunt B. virum per mare & terras inquirere, si fortè corpus illius, jam de vita ejus desperantes, invenire possent. Congregatâ igitur multitudine propinquorum suorum, unâ cum sacerdote, Henrico nomine, ex hujus consilio Deum deprecabantur, ut B. viri corpus ostendere dignaretur, & finitâ oratione, nutu Dei aviculam quandam albam, dulciter intonantem, proræ navis insidere viderunt, quam ceu itineris sui ductricem, sequentes, usque ubi sacrum corpus jacuit, salvo ductu pervenerunt. Tunc universi, qui aderant, gaudentes, Domino Deo gratias referebant, qui in sanctis suis est semper mirabilis. Funus porro indè translatum, fundata de illius nomine Ecclesia, in ea ipsum deposuerunt, quod ibi signis coruscavit. *Ita Stregnese, & alia regni Breviaria.*

## CAP. V.

*De S. ESCHILLO Sudermannorum  
Apostolo.*

**S**ANCTUS Eschillus post infantia rudimenta, contemptis illecebris seculi, se transfudit in amorem Dei, & dum ad virilem pervenisset ætatem, tantum à Deo inspiratus est, ut B. Abrahæ meritis æquaretur, cui dictum est: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, venique in terram quam monstravero tibi, & faciam te crescere in gentem magnam. Et tunc spretis parentibus, & patria, ex Britannia, in qua natus erat, in Regnum Sueciæ perrexit, certus quod quanto longius propter Deum recederet à proprio solo, tanto plus cælo appropinquaret. Sanè cum divina voluit providentia, ut lampas tam clarè accensa, super candelabrum Ecclesiæ constituta, multis lumen præberet, consensu omnium eligitur in Episcopum Ecclesiæ, quæ vocatur Nordanskog, & honorificè consecratur.

Videns porro hostis antiquus, & invidens, quod multiplicatis fidelibus, Ecclesia triumpharet, moliebatur vitam Pastoris extinguere, ut oves gregis dispersæ, infernalium morsibus luporum paterent. Denique idem adversarius quosdam perversos, jam retrò post Sathanam abire volentes, contra Regem Ingonem, fidei defensorem, acri livore inflammavit. Qui videntes sibi sub ipso illicita non licere, collecto exercitu, Regem in bello victum fugarunt è regno. Atque ejecto Principe Christiano, idololatram elegerunt, præficientes sibi in Regem quendam impium, nomine Suenonem, regio decore indignum, dictum Blodsven, quod illos permisit bibere sanguinem animalium simulacris libatum, & vesci idolothitis.

Nam multitudo infidelium cum Rege suo convenit in Strengenes, ut im-



immolatis bobus, victimas ibi Diis suis offerret, fecitque ibi grande convivium, ob reverentiam Regis & Deorum. Tempore illo Episcopus apud Ecclesiam Fors residens, his auditis, cum clericis suis idololatrias accessit, intrepidusque in medio illorum stans, accepto spiritus gladio, qui est verbum Dei, arguit impios, quod obliti Domini creatoris sui, dæmoniis immolarent, & non Deo vero. At illi ut aspides obturaverunt aures suas, ne audirent verbum Dei. Idque vir Dei animadvertens, oculis ac manibus in cælum levatis, rogavit Deum, ut faceret aliquam suæ ostensionis evidentiam, per quam incredulorum saxea corda cognoscerent Christum solum verum esse Deum. Finitâ igitur oratione, mox fragore magno Dominus intonuit, & grando, nix ac pluvia descendentes, aras immolantium, & hostias, destruxerunt; Super Episcopum verò nec una pluviae descendit gutta. Quo viso, filii Belial, furore repleti, impetum fecerunt in eum, unusque ex illis ariolus, Spabodde dictus, caput Episcopi lapide percussit, & alius testam capitis securi confregit. Tunc sanguine sacro de vulneribus fluente perfusus est lapis in quo stetit, qui, ut dicitur, adhuc in eo apparet indelebilis.

Semivivus autem S. Martyr in terram corruens, à quibusdam pertrahitur ad Regem, & ne sine causa pati diceretur, asserebant magicis ipsum artibus, ob injuriam Regis, & Deorum, sic aërem concitasse. Ideoque statim à Rege iniquo, lata mortis sententia, ductus est in vallem, ubi nunc situm est cœnobium fratrum prædicatorum, ibique pro fidei zelo lapidibus obrutus, temporalem finivit vitam, & æternam feliciter in cælo inchoavit. Passus est autem tempore vernali, quo & Christus, ad sepulcrumque martyris non pauci à variis sunt curati langvoribus. *Ex Breviar Scarenf. pag. 330.*

## CAP. VI.

## De CANUTO, Danorum Rege.

**G**Loriosus Rex Canutus, ingenio fuit acutus, specie decorus, armis, & animo strenuus, mentisque industria & oris facundia pollebat; pauperibus & afflictis lubens succurrebat, miræque fuit abstinentiæ. Nam privatis, & solennioribus jejuniorum diebus; nec non & sextis feriis, panem solum cum sale & aqua comedebat, licet aliis ferculis regalibus, quæ coram ipso ponebantur, uti crederetur. Considerans verò se Regem propterea factum, ut suo in regno justitia coleretur, incepit pravas regni consuetudines pro viribus extirpare. Atque inprimis edicto minaci proposito, jussit, ut populus decimas solveret Ecclesiæ, & jejunia per Ecclesiam indicta observaret. Qui his de causis Regi graviter succensens, cœpit primo in occultis conventiculis in necem illius conspirare, incentivum habens per Olavum, Regis fratrem, & procerum alios, Olavo clam adhærentes.

Quo Canutus tempore, venit ultra Limifiord in Vedelam, ut ibi ad tempus in sua curia resideret. Quod cum intellexissent incolæ, tam nobiles quam plebei, palam concluderunt Regem vel necare, vel inde profligare. De qua factus Rex certior conspiratione, aliò secessit, & plebecula hinc animata, regiam diripuit suppellectilem, & quos invenit Regis sectatores, occidit, Canutumque insequitur, Viborgi refugia captantem. Sed cum neque illic foret securus, in Fioniam ex Jutia profu-



fugit, Ottoniæ subsistens; cumque hujus populum insulæ, sibi eadem moliri pericula intelligeret, divinæ committit se dispositioni. Confluens autem Ottoniæ plebs indes frequentior, versutissimum habet consultorem, qui Regi se amicum simulans, ab illo lautè tractatur, & factus sequester inter Regem & plebeculam, hanc magis in Dominum instigat. Cujus Rex fraudis ignarus, ad preces vespertinas in Ecclesiam se contulit S. Albani. Quem furens fremensque mox populus insecutus, & non intromissus, valvas templi confringere, & ignem subdere tentabat. Quapropter Canutus de sua desperans vita, sumptis Ecclesiæ sacramentis, se ad mortem præparavit, & saxi, hastisque per fenestras à populo se inevitabiliter impeti videns, coram altari prostratus in modum crucis, se, & suos, Domino commendavit. Moxque lanceâ transfixus, sanctam ibi animam efflavit. Occubuit etiam frater Regis, Benedictus, & XVII. illorum propugnatores. Plurimis autem signis Dominus Regem gloriosum magnificavit post obitum; Sed peremptores multis plagis, & mortè horrenda, punivit. *Sic Breviarium Arosiense fol. XCI. & Nidrosiense. Saxo lib. XI. pag. 199. Crantzjus in Dania, libro IV. capite XXXVII.*

1087.

## CAP. VII.

## De Beata RAGNILDE.

**H**Abuit Rex Sueonum Ingo conjugem nobilissimam, Ragnildem, quæ quantæ fuerit sanctimonix, satis ostendunt ejus reliquix, in oppido Telgeni depositæ, atque in summa veneratione hactenus ab omnibus piis incolis habitæ. *Johannes Gothus lib. XVIII. cap. XIV. Ericus Upsalensis, pag. 79. & Jacobus Zieglerus, in sua Scondia.*

## CAP. VIII.

## De S. JONA, primo Holensium, apud Islandos, Episcopo.

**A**Nno MCVI. in boreali Islandia, Episcopatus peculiaris est fundatus, quam primus gessit Jonas Ogmundus, vir magni nominis, ex meridionali oriundus Islandia; Qui jactis in schola Islebiana, bonarum literarum fundamentis, exteros invisit, Romam usque penetrans. Deinde cum in aula Suenonis Ulphsonii, Daniæ Regis, aliquantisper vixisset, in patriam reversus, designatur Episcopus, Islandiæ borealis. Qui similiter Pontifice salutato, in Daniam, ad Lundensem Archiepiscopum, ablegatur &c. Moritur Jonas Ogmundus, anno MCXXI. in Sanctorum relatus numerum, post annos demum, LXXX. *Sic Jonas Arngrimus in Chronico Islandiæ pag. 108.*

1106.

1121.

1200.

## CAP. IX.

## De S. CANUTO, Danorum Principe, &amp; Rege Obotritorum.

**I**llustris Dux Canutus, in suspicionem immerito vocatus apud patrum, Regem Nicolaum, & Magnum patruelem, affectati regimini,

E

nis,



nis, neci destinatur; cujus in locum pervenitur, quem Magnus tenebat, isque dejecto insidens robori armatus, vix assurgit venienti. Canutus quid arma velint interrogat; Ille respondit, militaria membra talibus difficulter posse carere; Interea qui insidiis erant milites, paulatim appropinquant. Quid ea sibi manus velit, Canutus petit? Esse sibi refert Magnus, cum agricola contumaci causam, quam vadat dirimere. Obsecro, inquit, Canutus, solennes istos dies, iurificam armorum vi, ne obscures, facturum alioqui hominem, quod sit ex æquo, se vadem fieri; nisi fecerit ille, se facturum. Bene, inquit Magnus, mentionem infers te facturum, quod æquum est; Hic ergo regni successiorem æquo jure partiemur. Diu, inquit ille, parens tuus regnet, intempestivus est sermo, quem dicis. Hæc dicenti manum infert Magnus, & Canutus id videns, manum & ipse capulo admovet. Sed ante medium Magnus educens gladium distinxit caput, quam ille gladium nudaret. Cæteri profiliere, quisque manum infert jacenti. Ferunt exsiliisse fontem eo loco, quo vir eximius cæsus corruit. *Crantzjus lib. V. cap. XI. sua Daniæ; Saxo lib. XIII. pagina 216. & Breviarium Arosiense.*

## CAP. X.

## De B. HELENA, Vestgothica.

Sancta Helena, de nobilibus edita parentibus, ut Susanna quondam, in lege & justificationibus Domini erudita est. Cum autem annorum nubiliam attigisset habitudinem, secundum morem terræ, viro traditur. Quem ut Sara uxor Tobia, cum timore Dei suscipere consensit. Tandem cum mortuo marito, ad iterandum thalamum, ætas, & opes, vocarent, elegit magis spiritualibus nuptiis Deo copulari, quam carnalibus subjici. Igitur soluta vinculo maritali, laboriosam viduitatis aream terens, Judith in se sanctam mulierem repræsentavit, instar cujus jejuniis, & orationibus, Domino serviebat. Ostium suum, ut sancti Job, viatori patuit, & velleribus ovium suarum calefactus est pauper. Insuper dilexit decorem domus Dei, & zelus domus sic ei inerat, quod partem Ecclesiæ Schödvicensis, ubi nunc corpus ejus sacrum requiescit, de impendiis propriis fabricavit. Cæterum quando porticus illa, quæ est Schiodvii inter turrim & Ecclesiam, fabricabatur, quibusdam sciscitantibus, ad quid interstitium illud fieret? ita respondit. Dabit nobis Deus aliquem sanctum, cujus reliquiæ ibi decenter poterunt collocari. Quod de se, tanquam de alio, prædixisse perpenditur, quod eo loco ejus venerabile corpus, post passionem fuerit tumulatum.

Accidit ut quidam nobilis filiam B. Helenæ matrimonio sibi copularet, & illam deinde nimis exosam habens, frequenter verbis, & verberibus pulsaret; Servitores autem contumelias Dominae suæ illatas injustè, ferentes molestius, tetenderunt domino insidias, & illum occiderunt. Propinqui ergo occisi, pro nihilo duxerunt, mittere ultrices manus in servos illos, sed admissum crimen, famulae Dei impingentes, ipsam consciam, & machinatricem, fusi sanguinis dixerunt, divexaruntque propterea multimode. Atque cum tutius est urso sævienti ob raptos catulos occurrere, quam viro confidenti in stultitia sua, ut locum daret iræ, misit Deus in mentem suam, ut tantisper loca Sanctorum visitaret. Quæ laborem non abhorruit, sed ad videndum o Dmini sepulchrum,



pulchrum, & loca passionis, ut quondam illa gloriosa Cæsaris Constantini mater, Helena, Hierosolymam petiit, causam suam Divino commendans examini.

Peragratâ porro illâ regione, & aliis devotè locis pluribus, in Domino confidens, & ad nullius expavescens hostis occursum, in patriam reversa est. Verum inimici adhuc in malitia pertinaces, ac indurati, cum illa quodam die pro indulgentiis iret impetrandis, ad consecrationem Ecclesiæ Gothenensis, funesti in eam insiluerunt, & diris vulneribus inflicti, velut ovem innocentem, occiderunt. Occubuit autem sancta Helena III. Calend. Augusti, & sepulta in Schiödvii, circiter annum salutis humanæ, M C XL. Et quia Dominus sanctam suam, ibi plurimis miraculis mirificare dignatus est, procurante, piæ recordationis, Stephano, Archiepiscopo Upsalensi, Dominus Alexander III. Pontifex Maximus, illam catalogo Sanctorum censuit adscribendam, anno Domini currente M C LXIV. *Breviarium Scarense pagina 275.*

## CAP. XI.

## De B. CLAUDIO Arhusiensi.

BEATUS Claudius Arhusiensis, erat nepos Waldemari, apud Slesvicenses Episcopi, ex fratre, & pronepos Canuti Regis, qui vitam innocenter actam finivit, anno M C XL. Sepultus quo par fuit honore in Ecclesia Arhusiæ littorali. Inde autem postea translatus fuit ad cathedralem, à S. Clemente nuncupatam; atque cum in utraque plurimis coruscaret miraculis, ideoque sollicitaretur Papa, Innocentius II. de illo canonizando, commisit aliquot in Dania Episcopis, in eadem prodigia sedulam inquisitionem. Quæ cum in veritate ita contigisse deprehenderentur, mortuo Innocentio interim, successor in cathedra Romana, Alexander III. B. Claudii apotheosin, Anno M C LX. celebravit. *Idem Huitfeldius, eodem tomo, pagina 47.*

## CAP. XII.

## De Beato CHELIO.

BEATUS Chelius, seu Chelianus, natus in oppido Daniæ Winningensi, prope Randerfium, olim præpositum egit Wiborgi in Ecclesia Parthenica, & Episcopum ibidem, postque mortem, quam obiit Anno M C LI. V. Calend. Octobris, factus est Wiborgensium Patronus, & Apostolus. Nam propter miram vitæ sanctimoniam, signis post obitum plurimis comprobata, in numerum Divorum relatus est à Clemente III. Papa, anno M C LXXXVIII. *Arildus Huitfeldius tomo II. pag. 27.*

## CAP. XIII.

## De Sancto HENRICO.

REGNANTE illustrissimo Rege S. Erico in Suecia, venerabilis Pontifex, beatus Henricus, in Anglia oriundus, conspicuus vitæ sanctitate, & morum honestate præclarus, Upsalensem regebat Ecclesiam. Cum vero plebs Finlandiæ, tunc cæca, & crudelis gentilitas, gravia



damna crebrò per piraticam inferret, Rex Ericus accepto secum beato Henrico, & collecto exercitu, contra nominis Christi, & populi sui inimicos, proficiscitur. Atque illos Christo, & sibi subjugatos, baptizatosque B. Henrico mandat, porrò informandos, & ipsemet cum gloriosa victoria in Sveciam remeavit.

1155. Sanctus autem præsul mox alacriter se accingit ad irrigandos neophytorum animos imbre cœlestis doctrinæ, & volens quendam homicidam disciplinâ Ecclesiasticâ corripere, illum adeò in se irritavit, ut nefariè ab eodem, XIX. Januarii, anno M C LV. sit trucidatus, & spoliatus bireto capitis, annuloque digiti signatorio; Qui protinus in cumulo nivium amissus, & veris tempore inventus, prodente illum corvo, admotusque oculis cæci cujusdam, visum ipsi restituit. Sed biretum homicida ille, dictus Lalle, suo mox capiti imponit, idque cum vellet amovere, cutim & carnem, simul homo scelestus, à cranio detrahebat, *Breviaria Regni Sveciæ, & Finlandiæ, Norvegiæque.*

## CAP. XIV.

## De S. ERICO, Suecorum Rege.

1155. Sanctus Ericus tam Regali prosapiâ, quam nobilium Suecicorum Procerum, extitit oriundus; Qui regno vacante, propter innatam clementiam, & bonitatem, in regem unanimiter à Sueonibus electus, Upsaliæ coronâ honorificè donatur. In quo constitutus officio, inprimis divinum gnaviter promovit cultum, Ecclesias construendo, & Clerum adjuvando. Deinde sedulam gessit curam populi commissi, justissime regendi; leges condendo æquas, & insuetis, nimisque illum non onerando tributis. Denique ad expugnandos fidei hostes, & regni sui, totum se convertit, quorum fuere præcipui, Finnones, illosque tradit B. Henrico in fide Christiana instruendos.

1160. Cæterum decimo regiminis sui anno, insurrexerunt contra illum Magnus quidam, nepos Ragvaldi Regis ex filia, & alius quidam Princeps Gothorum, aliquod sibi jus competere, ad Sveciæ thronum prætendentes, & insperati Upsaliæ illum oppresserunt, cui compræhenso ibidem, caput venerandum iniquissime XVIII. Maji, anno M C LX. præciderunt. Atque cum innocentiam, & sanctimoniam Regis Erici per annos plurimos Deus sæpissime, & clarissime prodidisset, illis tandem Romanus Pontifex commotus, beatum Principem, Divis solenniter adnumeravit. Verum B. Henricus, iisdem fuit adscriptus, M CCC. *Breviarium Upsalense.*

## CAP. XV.

## De Beata MARGARETA.

1175. Hujus quoque tempore, scilicet anno M C LXXV. passa est beata Margareta Roschildiæ. *Ericus Upsalensis lib. III, pag. 99.*

## CAP. XVI.

## De Beato STEPHANO.

Beatus Stephanus, in parochia natus Brönnensi, diœcesis Ripensis, homo simplex, & mansuetus, inprimis evasit canonicus Ripensis; Deinde Ab-



Abbas Hereuadensis; Tandem anno MCLXXI. Episcopus Ripensis; Qui morte sublatus anno, MC LXXXII. & humatus in cathedrali Ripensium basilica, juxta parietem australem ex opposito archiodæi. Ad cujus postea tumultum, non pauci, morbo quoque laborantes, sanitati se restitutos esse contestabantur. *Hwitfeldius in chronico Episcoporum Ripensium.*

1171.  
1182.

## CAP. XVII.

## De Sancto TORLACO.

Sanctus Torlacus, in adolescentia bonis moribus ornatus, & litterali scientiâ eruditus, dignanter ad presbyteratus ordinem est promotus. Postea venit Lutetiam Parisiorum, nec inde nisi omnibus legis divinæ artibus sufficienter edoctus, discedit. In patriam verò reversus Islandiam, Canonicorum se regulæ subdidit, & qualis diu in divinis conspectibus fuerat, cunctis innotuit, in primis Prior, inde Abbas, effectus, suos in regulari observantia diligenter instruxit. Quamobrem venerabilis præsul Scalholtensis, Eloningus, senio confectus, illum delegit successorem, clero & populo consentiente. Cumque in utroque constitutus esset officio, multas per eum Dominus sanitarum virtutes operatus.

Post Eloningum integrâ potitur cathedrâ Episcopali, MCLXXI. factus VII. in ordine antistitum Scalholtensium. Illâ porro cum annis, XV. magna cum laude sanctitatis gavissus esset, incidit in morbum lethalem, & necessariis Ecclesiæ sacramentis, congruâ susceptis devotione, migravit ad Dominum, die XXIII. Decembris, anno MC LXXXVI. & ætatis suæ LX. *Breviarium Nidrosiense.*

1171.

1186.

## CAP. XVIII.

## De Beato WILHELMO.

Beatus Wilhelmus, natione Gallus, per Absolonem Roschildiæ præfulem, ex cœnobio S. Genoveuæ Parisiis, vocatur cum tribus fratribus monachis, ut ordinem S. Augustini, juxta reformationem S. Victoris, in Dania plantaret. Quod non impigrè præstitit, factus Abbas in monasterio Ebbholtensi ad S. Paracletum. In quo etiam anno MCCI. beatam exhalans animam, progressu temporis ob non pauca miracula, Sanctorum rationario adscribitur, & sequens habet merito Epitaphium:

1201.

Parisiis natus, factis, dictisque beatus,

Mundo sublatus, jacet hic Wilhelmus humatus.

*Hwitfeldius, tom. 2. pagina 70.*

## CAP. XIX.

## De B. ANDREA, Presbytero.

Beatus Andreas, sacerdos in Ecclesia Daniæ Slagelsensi, anno MCCV. floruit. Qui etiam præfatæ urbi privilegia impetravit eximia, à Rege Waldemaro II. Deinde votivis se accingens peregrinationibus, ad plurima Sanctorum loca proficiscitur, inter quæ fuerant, Nidrosia, Compostella, Roma, & Hierosolyma, hincque rediens, cum nollet abire ex Joppen,

1205.

1201.



nisi prius sacris interfuisset, comites illum deferendo, inde abiverunt. Sed ipse dum interea in Missa precibus vacaret consuetis, obdormivit, & evigilat in colle Huilensi, prope Antvorschovium Daniæ, multo quidem tempore prius, quam comites in patriam redirent. Nec pauca referuntur alia de B. Andrea prodigia, illaque cognoscendi cupidus, intelligere poterit ex tabula, quæ in templo S. Petri, Antvorschoviæ monstratur; Sicut etiam ex quadam de iisdem quæ circumfertur, Cantione. *Huitfeldius tomo II. pagina 81.*

## CAP. XX.

## De Beata MAGNILDE.

1215. **B**Eata Magnildis, in Sconia Danorum, orta existens circa annum MCCXV. à propria nuru, per summum scelus trucidata, & in sacello humata Fulletofteni minus quidem decenter, signis non obscuris suam prodidit innocentiam, sanctimoniamque. Unde B. Andreas, tum temporis Archipræsul Lundia, non dubitavit illam appellare sanctam. Quo motus testimonio, sicut & novis signis, Magnus, Lundia similiter Archiepiscopus, anno MCCC LXXXIII. ipsam transtulit inde ad Ecclesiam Lundia cathedralem, ut in hac, major illi honor posset exhiberi. *Huitfeldius in Chronico Episcoporum Lundensium.*

## CAP. XXI.

## De B. ANDREA, Lundia Archiepiscopo.

1201. **B**Eatus Andreas, illustri admodum natus est profapia, & patre Sunone Ebbesonio; sed illustrior multo fuerat virtutum ornamentis. Qui artium liberalium studia in gymnasiis patriæ gnaviter inchoata, in celebrioribus Germaniæ, Angliæ, Galliæ, & Italiæ ita continuavit, consummavitque Academiis, ut in Doctorem IV. magna cum laude sublimaretur. Tantum itaque virum inde reversum, Rex Daniæ Canutus, sibi Cancellarium merito deputavit; Quo sæpius legato usus, in arduis regni negotiis, ad varios orbis Christiani monarchas. Deinde virtutum meritis porro efflagitantibus, Archiepiscopus regni, anno MCCI. jure evasit, quo XXII. annis fungitur, tanta quidem cum sanctimonia, ut integrum circumferatur hodie volumen, illius plenum miraculis; Quorum profecto non est minimum, quod, cum in præsentia ejus Dani, gentiles Esthoniæ impugnarent, illo manus ad Deum protendente, prævaluerint, & eadem ipso propter senium, & morbum, paulisper submittente, succubuerint.

Cæterum illius libertatem, & pietatem, basilica Lundensis, etiam nostro tempore plurimum fertur celebrare. In hujusmodi autem dum versatur curriculo virtutum, lepræ contagio inquinatur, ideoque infulæ resignans, solitariam agit vitam, Deo soli deinceps vacans, interimque aliquoties aquam in vinum transmutasse perhibetur. Ex corporis tandem ergastulo, feliciter evocatus, ad Divorum migravit domicilia, XXIV. Junii, anno MCCXXVIII. corpore Lundia relicto, in sacello sanctæ Marthæ. *Huitfeldius tomo II. passim, & in historia Præsulum Lundensium.*



## CAP. XXII.

## De B. HOLLINGERO, Schogensi.

**H**ollingerus magnæ nobilitatis vir, in horum numerum majore sua imprudentia, quam malitia incidit. Quem Rex Ericus, præcipiti fugâ elapsus, missis confestim militibus, apprehendendum curavit. Deindè capite plexum honestissimâ sepulturâ in monasterio monachorum, quod Schog vocant, non longe ab Upsalia, decorari præcepit. Quo factò visus est pius Rex, nobilissimi viri casum dolenter sustinuisse, èstque à pluribus creditum, magis eundem ob alienam, quam propriam culpam periisse, & ob id miracula ad illius sepulchrum, in testimonium innocenter actæ vitæ, aliquando increbuisse. *In historia Johannis Gothi lib. XIX. cap. XIV. Epitaphium ejus tale est:* 1230.

Natum præclarâ, & regali stirpe Sueorum,  
Holmgerum morum speculum mors stravit amara,  
Hicque cubat capite plexus, sed mors preciosa,  
Monstratur ritè multis signis speciosa.

## CAP. I.

Libri III. in historia Sanctorum Scondicorum, & imprimis

## De Sancto ERICO, Danorum Rege.

**G**loriosus Princeps S. Ericus, patre Waldemaro II. Danorum Rege, nascitur anno MCC XVI. & cum ætate, morum integritate, virtutumque suavitate, adolevisset, matrimonio sibi junxit, filiam Alberti, Ducis Brunsvicensis, Juditham. Deindè anno MCC XLII. parente fati sublato, velut primogenitus, filiorum, thronum Daniæ, capescit. Nihilominus tamen magis de cœlesti, quàm terrestri sollicitus regno, priori voverat anno, se in habitu velle omnino mori, & sepeliri monachico, idque apud Franciscanos Roschildiæ, quorum hæcenus cœnobium suis construxisset sumptibus. Abel vero fratrum secundus, Juthiæ Princeps australis, quasdam cum Rege Erico inique gerens simultates, illi propterea continuas tendebat infidias. 1242.

Verum sanctus Rex, Deo & causæ confisus æquitati, eas contempnit, in Estoniamque, anno MCC XLIX. profectus, sedulam ibi dat operam, Ecclesiasticis optime rebus disponendis. Quando per quietem illi S. Venceslaus apparens, manifestat, quod ut ipsemet quondam à fratre Boleslao foret occisus, ita & Ericus per Abelem, esset modo trucidandus; Prius tamen in Dei gloriam, & suam foret memoriam, in Esthonia cœnobium fundaturus. Nec vanum censuit esse insomnium, cum evigilasset; Ideoque & fratrem exhorruit Abelem, ac cœnobium orditur Padiffensè. Cæterum reversus in Daniam, non sat memor illius revelationis, secure ad fratrem se contulit Slesvici morantem; A quo actu-



actutum compræhensus, catenis oneratus, & noctu in propinquum cymbâ elatus itagnum, jubetur morti se accingere, factâque cuidam sacerdoti confessione, interrogatus, ubi haberet suum thesaurum? Respondit, in quadam Roschildiæ cista, intelligens monachalem in ea habitum, thesauro preciosiorem, esse asservatum. Mox securi percussus, animam tradidit Creatori; sed corpus, catenis, & faxis, oneratum prægrandibus, in fundum Sliæ mergitur.

Attamen post bimestre temporis spacium emergens, dexteramque protendens cælum versus, inde vindictam inclamat, quod roseum & sanguinolentum adhuc, fratres Slesvici Prædicatores, audacter arripientes, in sua tumularunt Ecclesia. Contigit porrò S. Erici cædes, V. 1250. idus Augusti, anno M CCL. quam nemo complicum tulit inultam. Nec multò post tempore, cum S. Regis mors emanaret, & corpus signis coruscaret magis indies, illud effossum, ex cœnobio, ad basilicam illic Cathedralē Senatores regni transportarunt, & sequenti sepulchrum inscriptione decorarunt.

Hic jacet Ericus Rex, Magni Regis amicus.

Denique post septennium tertius fratrum, Rex Christopherus, inclytum prodigiis S. Erici corpus, cum ingenti transtulit honore Ringstadium, ubi Divos inter sollemnissime relatum, loculo imponitur argenteo. *Crantzius in Metropoli, & Huitfeldius tomo historiæ II.*

## CAP. II.

### De Sancta INGRIDE, Scheningensi.

CÆterum beatissime Pater, quasi ex officio nostro præmissis adjicimus per præsentis, quod fons sapientiæ, verbum Domini, in excelsis, Dei & virginis filius, JESUS CHRISTUS, novum etiam quendam fluminis impetum, Dei civitatem lætificantem profuderat in terra nostra, venerabilissimam quandam dominam, videlicet Ingridem de Scheningia, quandam Sanctimonialē, genere quidem nobilem, sed moribus nobiliorem, ex Gothorum prosapia oriundam, memoriâ celebrem, & insignem. Hæc ab illo, qui cœlis excelsior est, tam in vita, quam post mortem, in omni verbo gloriæ, nè dum per civitatem Scheningensem, sui incolatus, terram Ostrogothiæ, & totam diœcesin nostram; verum etiam per totum Sueciæ regnum, aliasque exteras regiones coruscantibus signis, ac prodigiis, claret incessanter, & jam annis plurimis continuatis, tam excelsa, & Domino dilecta, inventa, & reputata est, quod nulli penitus dubium sit apud nos, quin digna sit in memoriam, & laudem verti hominum, & tanquam lucerna candelabro Ecclesiæ luculentius imponi. Fumus enim aromatum ejus indicat, quid in ea cœlitus agatur, & est actum. Siquidem ab infantia sua, per omnem statum vitæ suæ, Domino Deo toto corde dignoscitur in jejuniis, vigiliis, orationibus & abstinentiis multis, eleemosynis, ac cæteris pietatum operibus, submisse, sobriè, piè, ac justè, vivendo in hoc seculo, se in justificationibus Domini jugiter exercens. Et maximè postquam ad viduitatis aream terendam à Deo transmissa est. Mortuo namque marito, postquam hæreditario multa bona, tam mobilia, quam immobilia, ad illam essent devoluta, Christum fecit hæredem univerforum, seipsam superimpensens, & confestim renuncians mundo, cœpit ardentius solito, cœlestia meditari, & in lege Domini, tanquam à volupta-



ptatis absoluta vinculis, attentius ambulare. Oravit enim ad Dominum, cum clamore valido, lachrymisque, & exaudita est pro sua reverentia. Hinc est, quod locus in quo monasterium & Ecclesiam instauraret, sibi divinitus est ostensus.

Deinde expetitis vicibus Romam expetiit pro ejusdem monasterii confirmatione, quam tandem à Martino Papa quarto obtinuit ad votum; non tamen sine magnis laboribus, & expensis. Sed & Hierosolymam, & alia Sanctorum loca, veluti Regina Saba, venit audire sapientiam veri Salomonis, Jesu Christi, & semitas vestigiorum ejus considerare. Demum verò ad propria rediens, cum sororibus, quas Domino acquisiverat, ad serviendum Domino, in monasterio suo prædicto, quod de novo construxerat, perpetuo se reclusit; ubi tandem cum cursum, multis plena meritis, & virtutibus, in Domino consummasset, cœlo spiritum, terræque carnis materiam feliciter commendavit, anno MCC LXXXII. *Ex literis Procerum, & Episcoporum Suevicorum ad Papam, anno MCD XIV, & Olaus Magnus, cap. XIX. libr. VI.*

1282.

## CAP. III.

## De Beata MEGTILDE.

**B**Eata Mechtildis, in Holfatia, patre Adolpho Comite, postea monasticen amplexo, genita, in primis Abeli Slesvicensium principi, nupsit, Anno 1237. Quo per mortem sublato, illa parentis invitata exemplo, se castitatis voto adstringit. Unde cum illustri quidam Heros, eam violenter ad suum pertrahere thalamum niteretur, adfuit vindex Deus, & ille ruens ex altis gradibus, cervice fracta, præsubitò expiravit. Ipsa porro effugiens noctis beneficio, virginum monasterio Roschildensium se mancipat, sanctimonialis futura.

Deindè non parvi causis momenti permota, & persuasa insuper à Lundensi archiepiscopo, cum Alexandri IV. licentia, Birgerum Jerl, Sueciæ proregem, acceptat maritum, nec illo diutius fruitur, quam per octennium, cum MCCLXVI. in fata concesserit, & sic B. Mechtildis denuò libera, se totam divino tradidit obsequio, individuaque comes S. Ingridis effecta, devotè plurima Sanctorum loca oblustravit. Denique incolumis in Gothiam reversa, novum Scheningiæ ordinem, S. Ingride antistita, lubens, anno MCCLXXXI. amplexatur. Cæterum quod cœnobium extra civitatem, loco non satis commodo, esset hæctenus constructum, rex Magnus, illius privignus, & regina Hellevigis, cognata, illud in urbem, cujus saxum Rex primum apud S. Martinum posuit, centum argenti libras simul fabricæ legando, MCCLXXXVIII. transtulerunt. Quo etiam anno, B. Mechtildis, terram cœlo feliciter permutans, Scheningiæ corporis requiem adipiscitur, non obscuris & paucis coruscantibus prodigiis, usque tempora Lutheranae religionis. Quando monasterio terræ adæquato, reliquiæ Sanctarum Ingridis, & Mechtildis, Vastenum, zelo Catholicorum, migrarunt; ubi à Lutheranis, Anno MDXCIX. cum aliis Divorum exuviis, secretè absconduntur. *Huitfeldius tomo II. Olaus Magnus pag. 218. & Jacobus, in sua Scandia.*

1281.

1288.



## CAP. IV.

*De B. BERONE Klockericensi.*

*circa  
1300.*

**S**anctus Bero cum lacte nutricis sub vigilantissima optimorum inspectione parentum, quaslibet imbiberat virtutes. Quibus deinde, cum foret egressus ephobiam, ita litterarum adjunxit scientiam, rerumque prudentiam, ut prius multo, quam virilem attingeret ætatem, dignissimus illas propter dotes, Præpositi officio Lincopensis, censeretur, ipsoque donatur. Residebat eo tempore Præpositus apud Ecclesiam rure Klockericensem, ubi propterea & B. Bero morabatur, velut pater egenorum, consolator mæstorum, & auxiliator oppressorum, omniumque à tramite virtutis deviantium, benignissimus informator. Quos idcirco afflixit magnopere universos, illius ex vita migratio, quæ acciderat anno MCCC. & spiritu cælum adeunte, corpus in ade tumulatur Klockericensi imprimis.

Cæterum quandoquidem variis inclarescere signis mox occiperet, translatum fuit decenter postmodum inde, ad Cathedralē Lincopiæ basilicam, & Augusto ibi cœnotaphio, talibus non indigno exuviis, includebatur. Prostabat diu advenarum venerationi S. Beronis tumulus, donec novatione religionis invalescente, fuerit solo adæquatus. Cippus tamen hodie alieno collocatus loco, sequens retinet Epitaphium:

In mausolæo tenet hoc sua membra locata  
Bero, volente Deo, de Klockerike levata.  
Ad laudem Christi, vires & opes posuisti,  
Sic cum vixisti, servire Deo studuisti!  
Sanctus erat curæ Bero propter talia jure  
Munera. Petra premit, jus morti Christus ademit;  
Quorum Lector eris memor; huic nam commorieris.

## CAP. V.

*De Sancto BRYNOLPHO.*

**S**anctus Brynolphus, Algotho Equite, & legislatore Vestrogothorum, genitore, de nobilissima Folchungorum prosapia oriundus, cum per annos XVIII. sedulam Lutetiæ operam artibus impendisset liberalibus, indeque in patriam rediisset, Canonicus Scarenfis, & Decanus Lincopensis principio evasit. Nec virtus, ac eruditio talibus contentæ præmiis, mortuo Scarenfium præfule, Achatio, dignissimè illum subrogarunt. Quo per XXXIX. annos functus est munere, tanta quidem excellentia virtutum, ut mortuum interea fuscitasse, & aquam in vinum transmutasse, certo certius perhibeatur. Ter almam verò clauserat vitam, VI. die Februarii, Anno MCCC XVII. & meritò post Sanctis adnumeratur. *Breviaria regni Suecici, & Chronicon Episcoporum,*

1317.

CAP.



## CAP. VI.

## De Beato MATTHIA.

**B**Eatus magister Matthias, pietate, & multa conspicuus eruditione, in Canonicum Ecclesiæ Lincopensis eligitur. Qui tantis deinde virtutum meritis apud Deum, & homines, percubuit, ut ipse, quod spiritus nosceret discernere, divinitus sit assignatus S. Birgittæ Confessarius, & Consiliarius. Interim non paucas habuit S. Birgitta, de sanctimonia B. Matthiæ apparitiones, quas volumen apocalypseos Brigittinæ, passim Lectoribus inculcat. Rogatus porrò ille à Diva, latinæ adhuc ignara linguæ, Sacrum Bibliorum codicem, in Sueticum transtulit sermonem; verum prius contextum latinum, doctissimis illustravit Commentariis. Denique postremis vitæ temporibus, propter multa devotionis exercitia, libentius & frequentius, apud Dominicanos Stocholmiæ conversatur; Quorum etiam in amplexibus, circa annum MCCC.LII. beatam exhalavit animam, ad superos, du- 1352. bio procul, transmissam; sed corpus exangue, in illorum reliquit Ecclesia humanum, quod viri sanctimoniam multis prodidit postea miraculis. *Revelationes S. Birgittæ, & liber Votorum ibi exhibitorum.*

## CAP. VII.

## De Sancto HEMINGO.

**S**anctus Hemingus, in parochia natus Uplandiæ, Belingenfi, tale in juvenili ætate præbuit de se virtutum specimen, ut omnes illarum æstimatores, in magnum quandoque virum prædixerint evasurum. Nec fellit eos opinio, cum Cyclopædiâ scientiarum multa cum laude domi absolutâ, forisque, inprimis Canonicum Upsaliæ, & Abogiæ esset beneficium consequutus. Quo in officio insigniter adeo se gessit, ut Benedicto Abogensium Episcopo vivis exempto, vacuam nactus sit Cathedram. Quam deinceps, XXVII. quibus in ea sedit annis, tot ornavit beneficiis, quot antecessorum nemo, tantisque enituit interim virtutibus, ut earum admiratores, & censores, etiam vivum Sancti nomine dignarentur, multoque magis, ob crebra miracula, post mortem, quam sanctissime obiit, XI Calend. Junii, Anno ætatis, LXXVII; Sed Christi, MCCCLXVII. & Ca- 1367. talogo Divorum sollenniter notatus, MDXIII. *Chronicon præsulum Abogensium.*

## CAP. VIII.

## De Sancta BIRGITTA.

**S**ancta Birgitta nobilis genere; sed nobilior moribus, potentes, & secundum seculi dignitatem, progenitores excelsos habens, in justificationibus Domini ferventes, & peregrinationis labores ad terram Sanctam & alia loca Sanctorum suscipientes, Deoque magnam reverentiam suis temporibus exhibentes, in hujus mundi tenebras, velut quædam cœlestis aurora, processit, ex sanctorum regum progenie. Cum utero matris gestaretur, in naufragio multis submersis, mater divinitus præservatur, no-



cte audiens sequenti : Salvata es propter bonum, quod gestas in utero, proindeque nutri illud cum Dei caritate.

Sacerdos quidam parochialis, vitæ beatæ, vicinus domui parentum illius, inter orationes suas ipsa nocte nativitatis ejus, vidit nubem lucidam & in nube sedere virgunculam, quæ haberet librum in manu sua, illique admiranti, vox cœlitus dixit : Nata est Birgero filia, cujus vox audietur per mundum. Profecit ab infantia ætate, & gratia, Deo providente, & in septimo anno vidit in spiritu, circa lectum & altare, Dominam fulgidam, super illud sedentem, habentemque in manu coronam, & sibi dicentem : Birgitta veni. Cui accurrenti, Domina dixit; visne coronam habere istam? Et mox imposuit capiti ejus, ita quod sentiret circulum coronæ caput tangentis.

In decimo autem anno ætatis, audivit de passione Domini prædicantem, & nocte sequenti vidit Christum quasi eadem hora crucifixum, & dicentem: Taliter plagatus sum. Et subinferente illa: ô Domine, quis fecit istud? Respondit Christus: illi qui me contemnunt, & negligunt charitatem meam. Ex hoc tam ardentem affecta fuit ad passionem Christi, ut rarò sine lacrymis, pœnarum talium posset recordari. Deinde quadam nocte, honorabilis domina matertera ejus, sub cujus cura, jam matre defuncta, degebat, ingressa latenter cubiculum virginum, invenit Birgittam, nudam, flexis ante lectum genibus, cum lacrymis orantem. Quæ suspicata levitatem virginis, cum allatam extendisset virgam supra dorsum ejus, comminuta est in particulas; unde cum admiratione dixit matertera: Quid fecisti, nunquid te docuerunt mulierculæ, aliquas orationes fallaces? Respondit illa cum lacrymis; Non Domina mea, aut de lecto surrexi, ut laudarem eum qui mihi semper est adiutorio. Interrogata porrò quis ille? Respondit: crucifixus quem vidi. Ex illa die cœpit matertera eam ferventius diligere, atque venerari.

Cum tredecim foret annorum, desponsatur à parente cuidam prænobili adolescenti, nomine Ulphoni, octodecim annorum, filio principis Nericiæ. Concordi autem voluntate, ultra annum continuum à concubitu abstinerunt, ipsaque, quam ab infantia Dei gratia perfuderat, sursum totis desideriis ad Deum ferebatur, & ferventissimè cœpit meditari cœlestia. Tandem mortuo marito, quem suo fecit exemplo beatum, ex mandato Christi, Romam & Hierosolymam peregrinatur, hincque reversa, feliciter ad sponsum suum migravit Christum, XXIII. Julii, Anno MCCCLXXIII, Canonizataque, VII. Octobris, MCCCXCI. *Breviaria Suecia.*

1373.

## CAP. IX.

## De Beato PETRO Alvastrensi.

**B**Eatus Petrus, ordinis Cistertiensis, in cœnobio Ostrogothiæ Alvastra vocato, propter raras ingenii, & genii spirituales dotes, in Priorem ibi conventus dignissimè promovetur. Nec talentum sibi concessum divinitus in terram statuit defodere, sed ita perditus & pernox cum illo negociabatur, ut multiplicem inde fructum Domino adferret, ab eoque propterea sic compellatus: Euge serve bone, super multa te constituiam, intra in gloriam. Verum prius ille cœli, terræque œconimus, S. Birgittam, velut preciosius longè talentum, B. Petro commendavit, ut ipsi maritoque adhuc superstiti, à sacris esset confessionibus, consiliisque, in talique promeruit officio immortale illud brauium, quod illi omnium bo-

bo-



bonorum remunerator Deus, in apocalypsi Brigittina pollicetur. Ad quod ter faustus per mortem evolavit, terream sui molem, corpus, tantisper in Ecclesia linquens Alvastrensi; quod nec ociosum mansit, cum admirandis ibi signis diu coruscarit. *Ex præfato Revelationum libro, & archivo Vastenensi, Alvastrensique.*

## CAP. X.

## De B. Magistro PETRO Vastenensi.

BEATUS Magister Petrus Olavius, ab infantia in timore Domini educatus, in eximum virum, literis & virtutibus apprime imbutum, adoleverat. Quibus commota ornamentis S. Birgitta, illum sibi facellanum delegerat, & liberorum simul pædagogum; præcipuè tamen S. Catharinæ præceptorem, inspectoremque. Quibus in officiis ita sedulum, & maturum se gesserat, ut mariti post obitum S. Birgitta illum in obsequiis retinendum sentiret domi, & in Italiam peregrè abiens, Hierosolymamque proficiscens. Interea temporis, quod plus quam XXIII. durat annis, B. Petrus sacris coram Diva operatus est, & quæ divinitus eidem revelabantur, calamo fideliter excipiebat; Latine vertebat, & in justum redigebat volumen, cum nonnullis collegarum aliis. Sicut etiam cantum, quo Brigittinenses sunt usæ postmodum Sanctimonialis, non minus ingeniosè, quam religiosè, componebat. Illarum porro, monachorumque, ante professionem, inclusionemque, multa cum laudè sanctitatis, & prudentiæ, confessarium egit.

Nec indormiit negotio canonizationis Brigittinæ interim, quod singulari cum encomio in Suecia, & Romæ, promovit, vitam Divæ, & miracula, conscribens fidelissimè, votique occipiens fieri compos, translatione S. Birgittæ solenniter Vasteni, anno MCCCLXXXI. consummatâ, dixit cum B. Simeone: Nunc dimittis in pace servum tuum Domine. Atque ita suaviter in Christo obdormiens, sepelitur in Ecclesia cœnobii, & signis micat stupendis. *Revelationis lib. & documenta cœnobii Vastenensis.*

1381.

## CAP. XI.

## De Sancta CATHARINA.

ASSEVERAT Volateranus, S. Birgittam, octo genuisse liberos, omnes re, ac nomine sanctos, quatuor scilicet filios, & totidem filias, harumque unam fuisse B. Catharinam. Quæ cum nubiles attigisset annos, ex consensu parentum illustri viro Echardo à Kernen, traditur in matrimonium. Sed prima nuptiarum nocte, sponsa permovit sponsum, ad vovendum Deo secum perpetuam castitatem. Postea matris, in Italia morantis, desiderio visendæ inflammata vehementer, cum mariti venia honestum providentis comitatum, in Latium festinavit. Romæ autem ingenti amoris affectu à matre suscepta est, & visitatis aliquandiu ibi religiosè admodum sacris stationibus, ad remeandum in patriam se disponit.

Cæterum advolat interim nuncius, de mariti obitu illam faciens certiolem, proptereaque decrevit in posterum matri adhærere, ac Deo liberius servire. Nec multo post tempore, comes quidam Romanus, illustris, & prædives, captus B. Catharinæ pulchritudine, illam expetièt



enixè uxorem, repulsamque sæpenumerò passus, violenter ipsam tentavit auferre. Mox verò percussus cæcitate, & supplex veniam sceleris à SS. Birgitta, Catharinaque obsecrans, illarum precibus à Deo illuminatur. Cujus insignis prodigii, aliorumque perplurium, matronæ non ignaræ Romanæ, cum anno MCCCLXXIX Tyberis ad tredecim cubitus, cum grandi urbis periculo, excrevisset, ab illis amicè coacta, Diva procedit aquis obviam, quæ pristinum extemplò alveum repetitive-runt. Demum negotio apotheoseos maternæ ibi consummato fermè, in Sueciam regressa, in febrim incidit, quâ Vasteni sanctissimè vitam terminavit, XXIV. Martii anno MCCCLXXXIII. *Laurentius Surius Latinè, & historia Divorum Saxonicè.*

1383.

## CAP. XII.

## De S. NICOLAO, Episcopo Lincopensi.

**E**X honestis, & justis, natus est parentibus S. Nicolaus, qui adeò innocenter annos domi pueriles transegit, ut non tam parentes, quam cognati & vicini, de hoc plurimum mirarentur. Deindè cum primis artium liberalium rudimentis in patria esset imbutus, Lutetiam emittitur; ubi, sicut & Aureliani, sacræ Theologiæ, ac utriusque juris prudentiæ, ita ferventer insudavit, ut meritò laurea doctoratus ornaretur. Inde autem reversus in patriam, & gratiâ proficiens cum ætate, in archidiaconum assumitur Lincopensem. Tum ad vitam cœpit austeriorem tota mentis aviditate anhelare, & quavis sextâ feriâ, panis buccella, cum sale, atque aqua, comedendi, quietavit appetitum. Immò nonnunquam à prandio feriæ quintæ, usque prandium sabbathi sequentis, nihil omninò gustavit.

Verum in Episcopali postmodum specula constitutus, omnes vigiliis, & Sanctorum profesta, in solo pane, & aqua, jejunavit. Cæterum quanta misericordiæ, clementiæ, & humilitatis opera quotidie spectanda exhiberet, quanta sanctimoniæ argumenta ederet, integri sunt libri pleni. Itaque cum vitæ curriculum adeò laudabiliter emensus fuisset, ut sanctum omnes illum nominarent virum, in lethalem incidit morbum, quo B. Præsul fuit Lincopiæ extinctus, & honorificè sepultus, ad illiusque ibi tumulum non pauca diu contigere miracula, quæ propter fuit propalam Divis adscriptus. *Breviarium Lincopensis Ecclesiæ, & Chronicon Episcoporum.*

1391.

## CAP. XIII.

## De B. STEPHANO, Utroque.

**N**on postremo quondam inter Sanctos Sueciæ gradu honoris collocabantur, quidam sanctimonia quoque insignes viri, fama quoque inclyti, scilicet B. Stephanus, Arosiæ Dominicanus, & alter homonymus, B. Stephanus in Husby, ordinis Cisterciensis. Utpote qui tam vivi, quam mortui, non obscuris sanctimoniæ notis, & prophetiæ donis, in suis floruerint cœnobiis; ubi propterea illorum tumuli tempore diuturno, hominum illuc confluentium prostabant venerationi. Et in amore honoreque ipsorum extiterunt exuviæ, usque tempora novatæ per Luth-

the-



theranos religionis, quorum de prophetiis summopere admirandis, sequentes circumferuntur versiculi:

Entheus hoc quidam conventu vixerat, alba  
 Multum de pica vaticinatus erat.  
 Nempè suburbanis, quòd pullos abiete prati  
 Exclusura foret, candida pica suos;  
 Regeque tum peregre quodam redeunte, cruentos  
 Tam fore conflictus, hos secus urbis agros,  
 Civibus ut lignum, cæforum hastilia bello  
 Annis sufficiens exhibitura tribus.  
 Non procul hinc alius florebat tempore eodem  
 Vates, Bernardi porrò statuta sequens,  
 Nomine qui Stephanus, mirus fuit incola claustris  
 Husbygii, Suecis multa futura loquens;  
 Præcipuè argenti prædixerat ille, fodina  
 Quod quandoque ferax invenienda foret,  
 Læfosio flueret, ceu stiria crebra, metallum;  
 Effet at omnigeni Suecia panis inops,  
 Ut pluris panem, quam venderet illa metallum  
 Argenti; crimen sic lueretque suum.  
 Salveto salus, tum temporis diceret horrens.  
 Te salvum fecit, quâ Deus arte rogo!

## LIBER IV.

Historiam Virorum, fidei Catholicæ in  
 Suecia adhærentium, inductis illorum Epitaphiis,  
 aliisque simul metris, veraciter demon-  
 strans.

### CAPUT PRIMUM.

*De PETRO JACOBIO, Arosiensium  
 Episcopo.*

Quæ mea conditio fuerit, cognosce Viator;  
 Quod genus, & mortis quæ quoque causa meæ?

Est



Est nomen Petrus ; sed me cognominat auster ,  
 Præses scribarum , dum Steno regnat , eram .  
 Hinc mihi Vefmannæ meritò datur infula gentis ,  
 Curoque nè fallax lædat ovile lupus .  
 Objiciens Regi , quod contra pacta , Lutheri  
 Sit fautor ; per eum privor honore palam .  
 Sic magis indignor , Patriæque obrudere dogma  
 Illud quod vellet , vulgus ad arma voco .  
 Nidrosiam fugio , non procedente tumultu ,  
 Publica me revocat protinus inde fides ;  
 Quâ mihi non licuit , canonum nec jure fruisci  
 Spectaculo infami fuscipiebar inops .  
 Morte Lutheranus me dignum censuit ordo ,  
 Sed non Catholicus ; prævalet ille tamen :  
 Upsaliæque rotis ponor , prius ense necatus ,  
 Tres monstrans soles , condolet æthra mihi .  
 Inde sepulturæ monachorum trador in æde ;  
 Martyrii palmam , da mihi , quæso , Deus .

1527.

## CAP. II.

De PETRO GALLE, S. Theol. Doctore  
Archidiacono, & Professore Upsaliæ.

Galle quidem dictus , cognomine ; Sed tamen expers  
 Fellis , nequaquam nomen & omen habet .  
 Nobilis ingenio , pariter quoque nobilis ortu ,  
 Nectare musarum pectus abundè rigat ;  
 Hinc Doctoratus , præcinxit tempora , laurus ,  
 Archique Levites Upsaliensis erat .  
 Sublimi residens Cathedrâ , mysteria sacra  
 Pandit doctrinæ , gymnadis ante gregem .  
 Catholicæ fidei parastata , supremus , Olavo  
 Congreditur Petrio , Gallus , ut accipitri ;  
 Judicio Regis causam , populique subornat  
 Hic , ideò Gothicè verba disertus habet .  
 Concilii Patres optans , Papamque , sequestros .  
 Ille , Latinorum more , dilemma facit ;  
 Disputat & Gothicè , vulgi clamore coactus ;  
 Rex lucrum spectans , vicit Olavus , ait ,  
 Dogma novumque probat , vetus abrogat , & bona Cleri  
 Confiscat ; Petrum morsque , dolorque necant .  
 Docti , stella velut , fulgent post funera , testis  
 Ut Daniel ; cœlo quam Petrus ergò micat !

## CAP. III.

De THURONE JOENSONIO ; MAGNO BRUN-  
TONIO ; THURONE ERICIO ; & NICO-  
LAO OLSONIO.

Vos hyperaspistas celebravit Suecia quondam  
 Catholicæ fidei , quos tacet illa modò .

O Thu-



O Thuro Joensoni ; Thuro qui Patre natus Erico ;  
 Niclae Olsoni ; Magneque Bruntonides !  
 Qui genus illustri traducitis ordine Patrum,  
 Prima Senatorum vos loca jure tenent.  
 Relligio curæ vobis fuit illa verusta,  
 Qua cum Gustavus belligerare studet.  
 Armis hunc igitur , sociati gente Gothorum ,  
 Impetitis ; populus nec borealis abest ,  
 Quem tuus educit Thuro natus ; Magne crearis  
 Rex novus , adversa parte tremente nimis.  
 Attamen infidiis fit victrix ; triste Thuroni  
 Exilium placuit , fors ubi pejor erat.  
 Danicus ille Nero , Kungellæ vincitur , à quo ,  
 Ut suavor belli , cæditur indè Thuro.  
 In patria remanent alii , Gustavus eorum  
 Ense duos perimit , vivit at ære Thuro ;  
 Holmia Nicolai , & Magni ; Kungella Thuronis ,  
 Membra tenent ; animas vexit ad altra fides.

1532.

1529.

## CAP. IV.

De Doctore PETRO MAGNISONIO, Aro-  
sienſium Episcopo.

**M**Equè, measquæ morans paulisper , nosce querelas  
 Advena , quas forsàn nec tibi scire nocet ?  
 Petrus eram Magni , Suecorum more vocatus ;  
 Vasteni monachus ; Doctor & inde creor.  
 Missus enim Romam , disco non segniter artes,  
 Præcipue sacras , quæque dedere gradum ;  
 Ac fuit interea curæ mihi noster ibidem  
 Fundus , & ad campum , Chloridis ipsa domus.  
 Præful ab Arosiis electus patribus , illic  
 Consecror , ad cathedram denique pergo domum.  
 Pœnituit reditus , patriæ quòd dogma Lutheri  
 Rex obtrufurus , cuncta novaret ibi ;  
 Nec datur ad claustrum regredi , quod sæpè cupivi ;  
 Nec fidei curam , fas ut habere , licet.  
 Per me sacratus non paucus Episcopus extat,  
 Quorum nonnulli deseruere fidem.  
 Indè Lutheranis procrevit Clerus in orbe  
 Suecorum , mentem sauciat idque meam.  
 His , aliisque malis , quæ stellis plura fuerunt,  
 Confectus , propter religionis opus ,  
 Defessam superis animam commendo ; sed isti  
 Corpus humo : rumpas , Advena , jamque moras.

1534.

G

CAP.



## CAP. V.

*De JOHANNE BRASCHIO, Lincopensesum Episcopo.*

**L**ector ab extrema Boreæ regione Sueorum,  
 Clarus Johannes Braschius hic recubat;  
 Quem genuit Petrus, majorum sanguine fulgens,  
 Et schola Doctorem, post peregrina facit.  
 Patria Præpositi reducem, donavit honore  
 Lincopiæ; summi præfulis indè gradu.  
 Ut prius Arrhii mendis Athanasius obstat,  
 Dogma Lutheranum sic premit ille modò.  
 Arguit hæreseos Regem, multosque Gothorum;  
 Infidias igitur prævidet, atque fugit.  
 Extorrem Patriâ, suscepit Prussia primò,  
 Indè ad concilium pergit, ut æger erat.  
 Cœnobio Lendæ moritur, quem contegit iste  
 Cippus, & ut mentem recreet æthra precor.

158.

## CAP. VI.

*De MAGNO, Stregnensium Episcopo.*

**H**ic tumulus Magni, Sommar cognomine dicti,  
 Qui Stregnesensi præful in urbe fuit;  
 Idque labore gravi, Suecis quod dogma Lutheri  
 Obtrufum fuerit, quando sedebat ibi.  
 Obstitit ut licuit, simulare deindè coactus;  
 Nec minus Arosius, Vexoniusque Patres.  
 Hic nihil ob senium valuit quoque grande juvare;  
 Ob simplex pectus nec potis ille magis.  
 Fugerat Upsalius, Scarinus, Lincopiusque;  
 Præful at hæreticos Abogianus amat.  
 Ut quoque qui profugis mox successere. Quid ergò  
 Efficiet Magnus, viribus hoste minor?  
 Proditur, & tandem fidei ceu fautor avitæ,  
 Munere privatum dira catasta ligat.  
 Hoc, aliisque malis fractum mors straverat, æqua  
 Sors humat; huic, Lector dic, miserere Deus!

## CAP. VII.

*De LAURENTIO JOENSONIO, Catholicorum in Ostrogothia Archistratego.*

**A**usus erat facinus Lars Joenson, laude perenni  
 Quod dignum; cœli nec minus arce quidem.

Cul-



Cultor is agrorum non passus dogma perire  
 Catholicum, contra belligerare studet.  
 Convocat Ostrogothos, minus haud pugnare paratos,  
 Ut patriam hæreticis evacuare queant.  
 Proditur accinctus bello, cum parte necatur  
 Confocia: Quivis martyr honore fuit.

1540.

## CAP. VIII.

De NICOLAO DACHIO, *Sudrogothorum  
 contra Lutheranos Archistratego.*

Nomine Nicoleos, cognomine Dachius idem,  
 Agricolaë similis conditione fui.  
 Austrogothus patriâ, non assecla marti, & artis  
 Ingenuaë fueram; mars tamen ipse favet.  
 In quo natus eram, defendo dogma; Lutherum  
 Contendo veram non docuisse, fidem.  
 Hanc quoque Gustavo, plebs intulit arma, tuenti,  
 Me duce, quem sceptro despoliare volo.  
 Danus id affectat, comes Hojus, Duxque Suerini;  
 Atque Palatinus, Cæsaris instat ope.  
 Nobile stemma mihi, feudumque insigne spondit,  
 Et vetus in Patria, religionis opus.  
 Impulit extorris pariter me turba Sueorum,  
 Quæ nervum belli pollicitata diu.  
 Nactus at inde nihil, Suantoni defero sceptrum,  
 Quod renuit: fugio, nullibi adeptus opem.  
 Delitui peregrè, multis incognitus annis,  
 Cæsum fama refert, stipite membra locans;  
 Filius interea successerat unus, & alter  
 Gustavo, reducem me capit iste domi.  
 Multa mihi fuerat, cupreum diadema, solutus  
 Quod gesto; desunt non alimenta seni.  
 Demum parca necat, sepelit Stocholmia Regem.  
 Heu fortuna vale, ludito nunc alios!

1542.

## CAP. IX.

De M. GEORGIO THURSONIO, *Upsalen-  
